SIBYLLA CAPITOLINA, PUBLII VRIGILII MARONIS POEMATION;...

Publius Vergilius Maro

Digitized by Google

4K.3
15.

15.3.179

15 Q.3

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SIBYLLA CAPITOLINA,

PUBLII VIRGILII MARONIS POEMATION;

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRATUM

A S. L.



OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO,
M. DCC. XXVI.

Digitized by Google

LECTORI.

PRODIT tandem in lucem Virgilii Poemation, quod pulvere ſordidum, incognitumque, fortaſſe in æternum permanſiſſet: ni tumultuantes ſuprà Bullam Unigeniti Controverſiæ, illud excuſcitaſſent. Incidit fortuitò in manus unius ex Janſenii Aſſeclis, Poeſeos amatoris: qui miratus non ſolum Chriſti Nativitatem, ſed etiam Controverſias ſuprà Bullæ Unigeniti doctrinam Virgilio innotuiſſe, exclamavit meritò quidem Poetas ab antiquis hominibus Vates nominatos fuiſſe; nimirum propter eorum Vaticinium, quod more Chriſtiano, Prophetiam vocamus. Idcirco, placuit ei hocce Poema Interpretatione & Notis illuſtrare, quibus faciliùs pateſiat ſenſus Poeticis ſalibus involutus. Plebs ignara

Digitized by Google

& prophana Virgilium credidit addictum Magiæ, aliiſque malis Artibus; ſed illum prudens Lector cœleſtem Poetam judicabit potiùs quam infernum, ſi omnia ejus ſcripta mirabile perlegat, quæ hucuſque ab omnibus emunctæ naris Lectoribus nocturnâ diurnâque manu pertractata ſunt.

Digitized by Google

SIBYLLA CAPITOLINA, P. VIRGILII MARONIS POEMATION.

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT S. L.

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

P*ROPOSITIONE Operis & Invocatione præmiſſis, mox deſcribuntur ingenia & mores Corvorum Sibyllinorum: narrantur artes quibus Sibyllam fovent, coluntque, in Capitolio. Corvorum exercitus Diris ultricibus, Latiniſque copiis ſtipatus, à Liligero rege hoſpitio recipitur. Corvorum Cœlicolarum Dux Romam petit, Antrum Sibyllæ ingreditur, Secreta Sacra aperit, & Diræ Sibyllinæ Romanorum triumphos juſſu Latini regis ad delubra ducunt. Capitolinus Vates ingentia juſſa ferens adverſus Vatem Fatidicum, Antrum Sibyllinum, & Tecta Vaticana deſcribit, laudibuſque extollit. Minis, precibuſque, & promiſſis exhibitis, Fatidici aſſeclas ſuadere nititur, ut obſequium religioſum Sibyllæ, & Sibyllinis Corvis præſtetur. Sibyllinam Imaginem commendat, exitium futurum jactans cui reſervantur abnuentes Imaginem Sacram adorare, & Vatis Fatidici aſſeclæ.*

Digitized by Google

ROMANAS acies cœlo capita alta ferentes,
Bellaque jam famâ totum vulgata per orbem
Sacrati Capitis; tempeſtateſque ſonoras,
Hinc canere incipiam: quæque ipſe miſerrima vidi
Dicite Pierides, non omnia poſſumus omnes,
Et meminiſtis enim Divæ certamina tanta.
Nec ſum animi dubius verbis ea vincere magnum
Quàm ſit, & anguſtis hunc addere rebus honorem:
Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis
Raptat amor; juvat ire jugis quà nulla priorum
Caſtaliam molli divertitur orbita clivo.
Cætera quæ vacuas tenuiſſent carmina mentes,
Omnia jam vulgata: via eſt quâ me quoque poſſim
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.

Non

NOTÆ.

Verſ. 3. *Sacratum Caput præfert Bulla Unig. nomen ſcilicet J. C.*

INTERPRETATIO.

HINC ordiar canere exercitus Romanos, attollentes Capita uſque ad cœlum; bellumque jam famâ cognitum per omnes terras; & tempeſtates ſonantes (*Controverſiarum*) Capitis Sacri (*Unigeniti*). O Muſæ narrate & vos quæcumque ipſe vidi miſeratione digna: quoniam non omnes poſſumus omnia: etenim vos Divæ memoriam habetis tantarum pugnarum. Nec dubito animo quàm ſit difficile ſuperare ſermonis dignitate, iſta argumenta; & addere hoc ornamentum rebus difficilibus: ſed amor ſuavis rapit me per altiſſimas Solitudines Parnaſſi: placet ire per ea culmina per quæ nulla orbita veterum deflectit facili inclinatione ad Caſtaliam undam. Cætera omnia argumenta quæ delectare poſſent animos otioſos jam pertractata ſunt: eſt mihi via quâ poſſim me etiam è terrâ, & victor volitare per ora hominum.

Non

Digitized by Google

Non ego cuncta meis amplecti verſibus opto,
Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum.
Haud ignota loquor, longa eſt injuria, longæ
Ambages, ſed ſumma ſequar faſtigia rerum.
Salve vera Jovis proles, decus addite Divis.
O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus, & quantum ſat erit tua dicere facta!
Tu decus omne tuis poſtquam te fata tulerunt:
Cura tibi Divûm effigies, & templa tueri.
Te duce ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri
Irrita, perpetuâ ſolvent formidine terras;
Quippe ubi fas verſum Romana palatia ſervas
Regibus; indigno cum Gallus amore periret,
Crimen amor veſtrum, ſolam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere ſenſus,
Sola viri molles aditus & tempora noras.

Tu

NOTÆ.

24, 25. *Vide* Montaltii Epiſtol. *&c.*

INTERPRETATIO.

Non ego cupio comprehendere omnia meis Carminibus: non ſi haberem centum linguas, & centum ora. Non ignota dico; longa eſt injuria, longi circuitus: ſed perſtringam ſumma rerum Capita.

Salve vera progenies Jovis; adjuncta Diis, quaſi honor eorum. Utinam reſtet mihi pars extrema tam prolixa vitæ, & anima quantum ſufficiet ut tua geſta celebrem. Tu es ornamentum omne tuorum: cura eſt tibi cuſtodire Simulachra, & Templa Deorum. Te auctore ſi aliquæ noſtrorum criminum reliquiæ ſuperſunt, deletæ, liberabunt mundum æterno metu; quoniam cuſtodis Romana palatia, ubi fas, ac nefas confuſum eſt. Cum Gallus indigno amore deficeret, ille amor crimen erat tuæ *familiæ*, (*& commune inter vos*). Quoniam infidus ille ſolebat te ſolam revereri, etiam tibi committere ſecretos ſenſus (*Conſcientiæ*): ſola cognoſcebas tempora, & commodos aditus ad illum.

 Tu

Digitized by Google

Tu potes unanimes armare in prœlia fratres,
Atque odiis verſare domos, aſpergere virus,
Funereaſque inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes: crudelis tu quoque falſis
Ludis Imaginibus, tenui diſcrimine lethi.
Te ſuper æthereas errare licentiùs auras,
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos,
Haud Pater ipſe velit, ſummi regnator Olympi;
Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem.
  Progenies auctura Italos, ſpes altera Romæ,
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,
Parva metu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit,
Et gradiens imâ verrit veſtigia caudâ;
Quin etiam promptum eſt oculis prædiſcere nigram.
Læta Deûm partu, centum complexa nepotes,

Omnes

N O T Æ.

32. *Virus doctrinæ, aut diſcordiæ....*
35. *Imagines paſſim pro Bullis.*

INTERPRETATIO.

Tu potes commovere in pugnas, fratres conjunctiſſimos, & turbare odiis familias; infigere venenum (*Diſcordiæ*), & mortiferas tedas; tibi ſunt mille ſpecies, & mille artes nocendi: tu etiam, ô dura! decipis nos, vanis figuris (*Rethoricæ*), parum diſtantes ab exitio. Ipſe Pater ſupremi cœli, nollet te vagari liberius ſuper ſpatia cœleſtia, inſultare terræ, & glomerare ſuperbos paſſus: mundus adhuc tener non poſſet tolerare hunc laborem.

Proles auctura (*Imperium*) Italorum, ſecunda ſpes Romæ, quam neque diuturnum tempus, nec ulla pietas placat: parva primum ob timorem; mox erigit ſe in aerem, inceditque per terram, & abſcondit caput inter nubes (*Theologiæ*), & ambulans verrit veſtigia parte extremâ caudæ; & facile eſt eam cognoſcere viſu nigram. Gaudens generatione divinâ, amplexa centum nepotes, omnes

cœ-

Digitized by Google

Omnes cœlicolas, omnes ſupera alta tenentes;
Omnia transformat ſeſe in miracula rerum,
Monſtrum horrendum ingens cui quot ſunt corpore plumæ
Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.
Ante aras, magnâ Juvenum ſtipante catervâ
Exultans, rorem late diſpergit amarum.
Nec Jovis imperio fatiſve infracta quieſcit,
Si nigrum obſcuro comprenderit aera cornu,
Æternum latrans, vireſque acquirit eundo.
Templa Jovi centum latis immania regnis,
Centum aras poſuit; florentia limina ſertis:
Sæpe Deûm nexis ornatæ torquibus aræ,
Munera ſunt lauri, levium ſpectacula rerum.

De-

N O T Æ.

47. *Cœlum colunt Theologi, fatui nova numina ſacli. Vid.* Guid. Patini Epiſt. CLXII.
51. *Prædicatores & Confeſſarii.*
55. *Si Odio Theologico conficitur.*

INTERPRETATIO.

cœlum incolentes, omnes obtinentes altas & ſuperiores ſedes: vertit ſe in omnia prodigia rerum; monſtrum horribile, ingens, cui quot ſunt plumæ in corpore (*politico*) tot oculi aperti vigilant ſubter eas, res mirabilis dictu; tot linguæ, tot ora loquuntur, tot arrigit aures. Gaudens ſpargit late aquam ſalſam, inter res ſacras; magnâ Juvenum turbâ ambiente. Nec quieſcit victa juſſu Jovis, aut fatis: ſi amplectatur aerem obſcurum in nigris cornibus: perpetuo latrat, & in progreſſu ſuo vires acquirit. Struxit Jovi centum templa ſpatioſa, vaſtis in regnis, & centum altaria; portæ ornantur ſertis verſicoloribus; ſæpe altaria Deorum ornantur torquibus implexis lauro: (*ſacra*) ſunt dona, & ſpectacula parvarum rerum.

Degeneres animos compellat vocibus ultro,
Brachia protendens, & verberat ictibus auras,
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In parteſque rapit varias reſponſa Deorum.
Tam ficti pravique tenax quam nuncia veri
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obſcuris vera involvens: cui talia fanti
Sedibus optatis, non vultus non color unus
Non comptæ manſere comæ: ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri,
Nec mortale ſonans: procul ô procul eſte profani,
Sic ait atque animum picturâ paſcit inani.
Et tentat ſeſe atque iraſci in cornua diſcit,
Verſaque in obnixos urgentur cornua vaſto
Cum gemitu, reboant Sylvæque & magnus Olympus.
Edocet humanis quæ ſit fiducia rebus,

Nunc

NOTÆ.

68. *Sedes electa Cathedra quam vocant Veritatis.*
74. *Pilei ceu Birreti tricornigeri.*

INTERPRETATIO.

Libenter alloquitur prior animos ignobiles, (*& ſuperſtitioſos*) porrigens brachia, & verberat ictibus aerem: & nunc huc, nunc illuc diſtrahit animum agilem, & trahit in diverſas partes oracula Divina. Tam retinens mali & falſi, quam veri nuntia, canit terrificas ambages, & reboat è caverna, obtegens vera obſcuris; cui dicenti talia, in ſedibus deſtinatis, non remanet facies eadem, non idem color, non capilli ordinati; ſed pectus anhelans, & cor offeratum intumeſcit rabie: *cœpitque* apparere major, nec loquens modo humano; & ſic dicit, longe, longe recedite ô profani; oblectatque mentem vanis picturis. Experitur ſe, & diſcit furere in ſua cornua, quæ impinguntur in adverſarios obnitentes, magno cum gemitu: ſylvæ & magnum cœlum remugiunt. Monet quæ ſit habenda fides rebus hominum; mo-

do

Nunc prece nunc dictis virtutem accendit amaris,
Caſtigatque auditque dolos, ſubigitque fateri.
Quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani,
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem,
Nudavit, cœcumque domûs ſcelus omne retexit.
Mortales hebetat viſus, animumque labantem
Proſequitur: ramum Lethæo rore madentem,
Vique ſoporatum Stygiâ ſuper utraque quaſſat
Tempora: Carminibus promittit ſolvere mentes,
Quas velit, aſt aliis duras immittere curas.
Tecta fremunt, ea viſa ſalus morientibus una.
Multa modis ſimulachra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Colloquio, tecti medio in penetralibus altis.
Continuoque animos vulgi formidine ludit,
Exercetque frequens, atque ordine ſingula pandit,
Horrendum ſtridens, flammiſque armata chimæra.

Hîc

NOTÆ.

85. *Carminibus, Incantamentis, Eccleſiæ ſuffragiis, &c.*
86. *Curæ, Pœnitentiæ, Satisfactiones, &c.*

INTERPRETATIO.

do precibus, modo dictis aſperis, inflammat virtutem: punit, & audit fraudes, & cogit fateri. Detegit quæcumque facinora patrata, unuſquiſque per vitam, protulit uſque ad tardam mortem, gaudens vanâ ſimulatione; & declarat omne crimen familiæ ignotum. Debilitat oculos mortales; impellit animum vacillantem; excutit ſuper gemina tempora ramum ſparſum aquâ Lethæâ, & ſoporatum virtute Stygiâ: pollicetur ſe incantamentis reſolvere animos quos velit, aliis vero injicere triſtes curas: domus fremunt gemitu; hoc ſolum viſum remedium morientibus. Videt multas figuras vagantes mirabilibus modis, auditque voces multiplices, & fruitur ſermone Deorum; in medio domûs, in intimis receſſibus. Decipit timore mentes plebis; aſſiduè eas colit, & chimæra horridè ſibilans, evomens ignes, explicat ſingula per ordinem.

Hîc & tum pater ipſe petens reſponſa Latinus,
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.
  Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ,
Et ſervare modum rebus ſublata ſecundis!
Corvorum increpuit denſis exercitus alis;
Terribiles viſu, ſpirantes naribus ignem,
Quà data porta ruunt, circumſtant tecta Latini,
Heu pietas! heu priſca fides! nova bella moventes.
Circum clauſtra fremunt omnes, opibuſque ſuperbi;
Hos ſucceſſus alit, poſſunt quia poſſe videntur.
Tecta vident quæ nunc Romana potentia cœlo
Æquavit, Juvenum & rerum dedit eſſe magiſtros.
Hi proprium decus, & partum indignantur honorem
Ni teneant, vitamque volunt pro laude paciſci.

Idem

N O T Æ.

98. *Corvi aves Mithræ Deo ſacrati ceu Soli. Miniſtri verò Mithræ, Corvi & ſacri Corvi nominabantur. Vide* Diarium Trevoltinum, *Febr.* 1724. *pag.* 304. & 308.

INTERPRETATIO.

Hîc etiam eodem tempore (*Sanctus*) Pater Latinus poſcens reſponſa, diſtribuit leges populis, & preparat ſibi viam ad cœlum.

O mens hominum ignara fati, & caſus venturi, & ſervandæ modeſtiæ in fortunâ proſperâ! Turba corvorum magno numero ſtrepit denſis alis. Horridi aſpectu, efflantes ignem naribus, erumpunt quà via aperta eſt; cinguntque palatium (*Patris*) Latini: heu pietas! heu fides antiqua! parantes novum bellum. Fremunt circum clauſtra, omnes, & gloriantes opibus; animantur ſucceſſu: poſſunt *vincere* quia videntur ſibi poſſe. Palatia vident quæ Romana magnitudo nunc extulit ad cœlum: illos juſſit eſſe moderatores Juvenum, & adminiſtros rerum: illi indignantur, niſi conſervent gloriam propriam, & honorem jam comparatum; & vellent pacto *mutare* vitam cum victoriâ. Eadem cupiditas impellit omnes;

co-

Digitized by Google

Idem omnes ſimul ardor habet: nova pectore verſat
Conſilia, haud tanto ceſſabit cardine rerum,
Invidia infelix, laudumque arrecta cupido,
Contra fata Deûm Romanam condere gentem.
Omnibus in templis, magno diſcordia motu,
Et Diræ ultrices, & ovantes gutture Corvi,
Armati Jovis ante aras venere volantes.
Ibant obſcuri ſolâ ſub nocte Latini,
Auſi omnes immane nefas in faucibus Orci.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis,
Aſper acerba tuens, & grandia Lilia quaſſans.
At rex ſollicitus monſtris horrenda canebat;
Tunc etiam interpres Divûm Phœbique ſacerdos,
Sanguineam torquens aciem Serpentibus atris,

Jam-

N O T Æ.

111. *Fata Paulina*, *Doctrina Prædeſtinationis adverſus quam pugnant* Pelagius *&* Molina, *Corvorum Doctores dilectiſſimi.*

120. *Phœbus*, *Galliæ Rex*, *cujus Sol ſpecimen eſt. Phœbi ſacerdos Regis Confeſſarius T. vel alius quiſpiam.*

INTERPRETATIO.

eorum invidia infelix, atque arrectum deſiderium gloriæ, volvit animo nova conſilia: non quieſcet in hoc flexu tam commodo rerum, ducere Romanum populum, adverſus (*doctrinam*) fatorum *divinorum*.

Diſcordia cum magno impetu, & Furiæ vindices, & Corvi exultantes gutture venerunt volando, cum armis ante altaria Jovis, in templis omnibus. Latini (*Pontificii*) incedebant per noctem obſcuram: auſi omnes infandum crimen in aditu inferorum. Rex durus, torvè aſpiciens, quatiens magna Lilia, accipiebat eos, ſub vaſtis porticibus: at rex impulſus portentis prædicebat res horrendas, eodem tempore, etiam, nuntius Deorum Phœbique (*Gallici*) ſacerdos volvens oculos ſanguinolentes ad angues nigros (*Furiarum*) jam dudum odioſus Diis

ſuſce-

Digitized by Google

Jampridem inviſus Divis arma impia ſumpſit.
Dixerat ille aliquid magnum, vimque aſſore verbo
Crediderat, cœloque animum fortaſſe ferebat.
Necdum etiam cauſæ irarum, ſævique dolores,
Exciderant animo, ſortes, arcanaque fata.
At ſimul heroûm laudes, vireſque ſuperbas,
Aut videt, aut vidiſſe putat ſuccedere cœlo,
Emicat & ventis, & fulminis ocyor alis,
Aſper acerba ſonans; & magnas territat urbes:
Terrorem ingeminat, ſpes addita ſuſcitat iras.
Nec procul hinc Romam, Cœloque Ereboque potentem,
Horreſco referens, fatis ingreſſus iniquis;
Secretoſque pios adiit, regemque tremendum.
Invitat pretiis animos, & præmia ponit,
Hortator ſcelerum, coluber mala gramina paſtus.

Peſti-

NOTÆ.

134. *Secreti pii, Congregatio de propagandâ ſide.*

INTERPRETATIO.

ſuſcepit bellum impium. Ille cecinerat aliquid magnum, & putaverat virtutem adfuturam incantamento; & forte tollebat animum ad cœlum. Præterea cauſa iracundiæ, & & ſæva indignatio non abierant adhuc ex animo: Sortes (ſcilicet) & ſecreta fata (*Janſenii*). Sed ſtatim aut videt aut putat vidiſſe ire in altum cœlum laudes heroum (*Sanctorum*) & vires ſuperbas (*Pelagii*). Exilit velocior ventis, & alis fulminis; & tremefacit magnas urbes; aſper, & acerbè murmurans, auget timorem, ſpes aucta accendit iras: nec longè inde ingrediens Romam potentem in cœlo & inferis, horreſco narrans, adit pios ſegregatos (*ad propagandam fidem*) & regem (*Latinum*) timendum. Incitator criminum, quaſi coluber refectus venenatis herbis, invitat valore præmiorum animos, & ſtatuit præmia; pandit aditus peſtiferos, horrendum penetrale

Si-

Digitized by Google

Peſtiferas aperit fauces, ſecreta Sibyllæ
Oſtia: Sancta fides, quid cura antiqua tuorum!
Et nunc ille quidem ſpe multum captus inani,
Aut vocem mutare viros, aut vertere veſtes
Exultat fidens: magnum ſi pectore poſſit,
Excuſſiſſe Deum; tanto magis ille fatigat,
Os rabidum, fera corda donans, frateſque ſuperbos.
Tum liquidas Corvi preſſo ter gutture voces
Aut quater ingeminant: quia ſit divinitùs illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major;
Effigiem ſtatuêre nefas quæ triſte piaret
Munera, lætitiamque Dei, ſub tecta Sibyllæ.
Tum plauſu fremituque virûm, ſtudiiſque faventum,
Conſonat omne nemus, vocemque incluſa volutant
Littora, pulſati colles clamore reſultant.
Hi motus animorum, atque hæc veſtigia fraudis,

Mu-

NOTÆ.

140. *Gallicè*, Signer le Formulaire.

147. *Effigies, Imago, Simulachrum, Machina, &c. idem ſonant, Bullam ſcilicet quancumque, ſed præcipuè Unig.*

INTERPRETATIO.

Sibyllæ (*Capitolinæ*). Sacra fides, ubi nunc antiquum ſtudium erga tuos? & nunc quidem ille deluſus ſpe admodum vanâ, gaudet fidens viros mutaturos linguam, aut converſuros veſtimenta; tentans an poſſit expellere è corde magnum Deum; *ſed* ille Deus tanto magis eum exagitat; ſubigens os rabidum, pectus efferatum, & fratres ſuperbos. Tum Corvi ter aut quater iterant claras voces, compreſſo gutture; quia (aiunt illi,) eſt ipſis divinum ingenium, & rerum prudentia potentior fato, extruxerunt Simulachrum quod expiaret funeſtum crimen (*Hæreſeos Janſenii*), donum & gaudium Divinum, in Palatio Sibyllæ. Tunc omnis Sylva reſonat plauſu, & fremitu hominum, & acclamationibus faventium; & littora volvunt murmur incluſum; colles icti clamoribus eos remittunt. Hæ commotiones animorum hique greſ-

ſus

Digitized by Google

Mutavêre vias, triſteſque ex æthere Diræ
Romanos ad templa Deûm duxêre triumphos.
Tali intus templo Divûm, patriâque Latinus
Sede ſedens, ſanctos auſus recludere fontes;
Miſſus in imperium magnum popularibus auris:
Carminibus patriis animas ille evocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit;
Inque dies avidum ſurgens caput altius effert
Illuſtres animas Stygiâ vectare Carinâ,
Demens, & cantu vocat in certamina Divos.
Sic fatus jam nunc ſolemnes ducere pompas,
Ad delubra juvat; Dii noſtra incœpta ſecundent.
Sit Romana potens Italâ virtute propago;
Hac caſti maneant in relligione nepotes.
Magna lues commiſſa: exercent numinis iræ
Haudquaquam ob meritum pœnas, triſteſque ruinas.

Tar-

N O T Æ.

167. *Lues, & Peſtis paſſim, Hæreſis aut Calviniana aut Janſeniana, &c.*

INTERPRETATIO.

ſus fraudulenti mutarunt viam (*Salutis*), & funeſtæ furiæ ex aere, præceſſere triumphos Romanos ad templa Deorum. (*Pontifex*) Latinus ſedens intra tale templum Deorum, & paternum palatium: auſus aperire ſacros fontes; miſſus in amplum regnum favore populi: ille educit animas pallidas ex inferis, alias dejicit ad triſtes inferos *incantamentis* Patriis; & aſſurgens in dies, extollit altius caput inſatiabile ad vehendum nobiles animas Cymbâ Stygiâ. Inconſultus, & invocat cantu ſuo Deos ad certandum (*pro ſe*) ſic loquutus. Jam nunc juvat ducere ad templa ſolemnes pompas: Dii proſpera reddant noſtra Conſilia. Sit poſteritas Romana potens Italorum fortitudine: pii perſiſtant in hac religione. Magnum ſcelus commiſſum eſt; Dei ultio perſequitur (*hæreticos*) nequaquam ob meritum, pœnis & triſti excidio. Contendit

(*La-

Tartaream intendit vocem, quâ protinus omne
Contremuit nemus, & ſylvæ intonuere profundæ,
Et trepidæ matres preſſêre ad pectora gnatos.
His quidam ſignis, atque hæc exempla ſecuti,
Extemplo turbati animi, ſimul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, res vertere fundo.
Dii meliora piis, erroremque hoſtibus illum!
Mœnia conſpicio, atque adverſo fornice portas,
Attonitæ magna ora domûs, ſedeſque beatas.
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, juvat uſque morari,
Et conferre gradum, & caſus cognoſcere tantos:
Obſervans quæ ſigna ferant, quò tendere pergant
Effigies ſacræ gentes agitare quietas.
His Vatem aggredior dictis ac talia quæſo,
(Stabat pro templo, & Capitolia celſa tenebat,)
O pater anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum eſt
Su-

N O T Æ.

176. *Vaticani Deſcriptio.*

INTERPRETATIO.

(*Latinus*) vocem infernam, quâ ſtatim omnis Sylva intremuit, & matres timidæ preſſerunt pueros ad ubera. Illicà quidam animi ob hæc indicia, & conſiderantes hæc ſpecimina (*ambitionis*) turbati ſunt; ſimul totum Latinum conſpirat ut in tumultu ſubito, ſubruere à fundamentis regna. Dii reſervate meliora piis, & illam rabiem hoſtibus. Video muros & portas, ſub oppoſito fornice magna oſtia domûs *ſuperſtitioſæ*, & ſedes beatas: nec ſufficit vidiſſe ſemel; delectat me remanere diu, & admovere pedem propiùs, & ſcire tantos caſus; explorans quæ dent indicia, quo pergant ire, ſancta Simulachra (*Bullarum*) ſollicitando populos tranquillos. Alloquor his verbis Vatem, & rogo eum talia (erat ille ante templum, & ſervabat altum Capitolium). O Pater, an exiſtimandum eſt

Digitized by Google

Sublimes animas? Cerno te tendere contra,
Sed nox atra caput triſti circumvolat umbrâ.
Oſtia jamque domûs patuêre ingentia centum.
Sponte ſuâ, Vatiſque ferunt reſponſa per auras.
Et graviter frendens, fatis adductus iniquis,
Audiit (aggreditur dictis, atque increpat ultro,
Infelix Vates) rupitque hanc pectore vocem:
Nam quis te Juvenûm confidentiſſime noſtras
Juſſit adire domos, quæſitum oracula rebus?
  Tectum auguſtum ingens, centum ſublime columnis,
Horrendum ſylvis, & relligione parentum
Quò lati ducunt aditus centum, oſtia centum;
Undù ruunt totidem voces, reſponſa Sibyllæ,
Munere conceſſæ Divûm ſolatia caſus,
Quarum ſacra fero ingenti perculſus amore;

Hæc

NOTÆ.

197. *Centum voces Sibyllæ, numerus Propoſ. Unigeniti.*

INTERPRETATIO.

eſt animas aliquas illuſtres hinc ire ad cœlum? Video te illuc ire velle; ſed nigra nox cingit caput tuum mœſtis tenebris. Et jam centum magnæ portæ antri apertæ ſunt, motu proprio; & emittunt in aerem reſponſa Vatis; & minaciter collidens dentes Vates funeſtus, attractus fatis adverſis, audivit me (*mos eſt ei* compellare dictis, atque ultro increpare,) & emiſit hæc verba è pectore: At quis tibi, audaciſſime Juvenum, imperavit ut venires in noſtram domum, ad petendum oraculum quod reſarciatur res tuas?

Domus magna, magnifica, educta centum columnis; tremenda ob ſylvas, & religionem majorum; quò centum lati aditus, & centum portæ ducunt; unde erumpunt totidem voces quæ ſunt reſponſa Sibyllæ, datæ beneficio Deorum; ſolamen infortunii; quarum fero res ſacras magno earum amore captus: locus eſt deſtinatus myſte-

Hæc ſacris ſedes numquam conceſſa moveri;
Aurea nunc, olim ſylveſtribus horrida dumis,
Jam tum relligio pavidos terrebat agreſtes.
Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſces,
Regibus omen erat: hoc illis curia templum
Dicitur, æternumque tenet per ſecula nomen.
Tum demùm horriſono, ſtridentes cardine ſacræ
Panduntur portæ: cernis cuſtodia qualis
Veſtibulo ſedeat, facies quæ limina ſeryet.
Semper ſole rubens, æquataque Machina Cœlo,
Quinquaginta atris immanis hyatibus hydra;
Sævior intus habet ſedem, Romana propago.
Ipſa Deûm pœnas docuit, longo ordine cernens,
Hæc reſponſa Patris longævi Regis ad aures.
Stabat acerba fremens: ſolvit ſublapſa vetuſtas,
Fulgores nunc terrificos, ſonitumque metumque.

Ille

N O T Æ.

209. 210. *Sacri Purpuratorum Collegii Delineatio.*

INTERPRETATIO.

myſteriis, qui non permittitur moveri. Domus eſt nunc aurea; quondam erat aſpera dumis incultis: jam tunc horrida Sanctitas loci terrefaciebat trepidos ruſticos. Initium erat regibus, inde ſumere ſceptra, & erigere primos faſces; hæc erat illis curia, templumque appellatur, & ſervat perpetuum nomen in ſæcula. Jam denique portæ aperiuntur ſtridentes horriſono cardine (*pergit Vates*), Vides quale Satellitium ſedeat in veſtibulo, quale ſpectrum occupet poſtes: machina educta ad cœlum ſemper rubens fulgente ſole; hydra crudelis habet intus ſedem; horribilis quinquaginta faucibus; (*& eſt*) progenies Romana. Ipſa declaravit ſupplicia conſtituta à Diis; explorans longâ ſerie, hæc reſponſa Patris (*Latini*) ad aures grandævi Regis (*Gallorum*). Stabat acerbè fremens, (*quoniam*) vetuſtas diſſolvit tempore labente, fulgura terrentia (*Vaticani*) & fragorem & timorem.

Ille

Digitized by Google

Ille ego qui quondam monitu imperioque Deorum,
Noctem addens operi, componere magna ſolebam:
Inſomnis veterum volvens monumenta virorum,
Ambroſiæ ſuccos, memoranda inventa magiſtri;
Tantæ molis erat Romanam condere gentem,
Romanos rerum dominos. Nunc & Jove miſſus ab ipſo,
En erit ut liceat totum mihi ferre per Orbem,
Relligione Patrum, multos ſervata per annos,
Sacra Deûm, antiquam virtutem, animoſque viriles:
Vidi lecta diu, & multo ſpectata labore.
Ipſe hæc ferre jubet celeres mandata per auras,
Cæruleus Tybris cœlo gratiſſimus amnis,
Continuò has leges, æternaque fœdera Gallo
Jungemus regi; nam lux inimica propinquat.
Umbrarum hîc locus eſt, ſomni noctiſque ſoporæ,
Stat fortuna domûs, dapibuſque epulamur opimis.

Veſti-

NOTÆ.

219. *Magiſtri, Pelagii aut Molinæ.*

INTERPRETATIO.

Ille ego ſum qui olim monitu, & juſſu Deorum, adjiciens noctem labori, vigil; recogitans hiſtorias antiquorum hominum, ſolebam comparare magna (*opera*) ſuccos immortales; inventum memorabile magiſtri (*noſtri*) tanti erat momenti fundare Romanos, (*inquam*) dominos rerum: nunc nuntius Deorum, miſſus ab ipſo Jove; aderit illud tempus, cum potero publicare apud omnes gentes, myſteria Deorum, ob majorum reverentiam ſervata per multos annos; veterem fortitudinem, & virilem generoſitatem: (*Pelagii*) vidi ea (*myſteria*) diu electa, & magnâ curâ explorata. Ipſe Tybris Cæruleus, fluvius acceptiſſimus Diis, imperat me portare hæc ſua mandata per levem aerem: principio ſociabimus nos regi (*Gallorum*,) his legibus, & his pactis perpetuis; nam lux incommoda imminet. Hæc ſedes eſt umbrarum, ſomni, & noctis ſomniferæ: fortuna familiæ ſubſiſtit & comedimus pingues carnes. Proles auctura (*Imperium*) Italo-

rum,

Digitized by Google

Veſtibulum inſomnis ſervat noctesque dieſque,
Progenies auctura Italos, quæ maxima ſemper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima ſemper.
Durum à ſtirpe genus prohibet contingere menſas,
Incluſas animas, quæ per juga longa ſedebant.
Fatale aggreſſi ſacrato avellere templo
Auxilium (mixtumque genus, proleſque biformis,)
Arma Deoſque parant comites pro numine læſo:
Hoc Latio reſtare canunt, diſcrimine tanto.
Regis Romani ſurgunt de vertice pennæ,
En etiam quantas oſtentant aſpice vires,
Sponte ſuâ quæ ſe tollunt in luminis auras,
Inſtituuntque dapes Latio, genus unde Latinum
Jampridem reſides populos ditione tenebat,
Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma.

Vi-

N O T Æ.

233. *Vide ſuprà verſ.* 40. *quæ ſit iſta Progenies.*
236. *Sorbonici ſedent in Scamnis, Gallicè* Bancs de Sorbonne.
237. *Fatale Auxilium, Pauli Doctrina de Prædeſtinatione.*
238. *Miſtum genus, è Clerico ſcilicet, & Cœnobitico.*
241. *Pennæ ad ſcribendum Bullas Pelagianas, &c. Vide* Rabelæſ. *in* Papimaniæ Deſcriptione.

INTERPRETATIO.

rum, quæ ſemper dicetur à nobis maxima, & quæ ſemper erit maxima; cuſtodit limen vigil, & noctu & diu: gens fortis ab ipſâ origine vetat animas ſeparatas quæ ſedebant in ſcamnis longis, tangere menſas (*beneficiorum*). Aggreſſi auferre (Divinorum) fatorum auxilium à ſancto templo; ſoboles biformis, mixto genere, parant nova bella, & Deos ſocios, pro Divinitate offenſâ: edicunt hoc ſupereſſe Latio, in tanto periculo. Plumæ attolluntur è capite *Pontificis* Romani: vide quantum præ ſe ferunt robur, quod ultro erigit ſe in aerem, fundatque alimenta Latio, unde populus Latinus ſub legibus ſuis habebat (*monachos*) ſubditos otioſos; ideoque Roma evaſit pulcherrima mundi. Pietas (ſua) ſuperavit iter difficile

Digitized by Google

Vicit iter durum pietas, Gallumque rebellem,
Quique pii Vates diſtendunt nectare cellas,
Floribus inſidunt variis, & candida circum
Lilia funduntur, donis dictiſque Latini.
Cum levis ætheriis delapſus ſomnus ab aſtris
Aera dimovit tenebroſum oblivia potant.
Hunc ſocii morem Sacrorum, hunc ipſe teneto.
Interpres Divûm fert horrida juſſa Sibyllæ,
Quatuor hic invectus equis ad mœnia regis
Longævi quem nunc video concurrere fatis,
Attollitque animos ſceleratam excindere gentem.
Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem,
Aut vocem mutare viros altaria juxta.
Urgentur pœnis, tenebris & carcere cœco
Incluſi pœnam expectant quæ maxima turba eſt.

Multa

NOTÆ.

250. *Gallicè* Louïs d'Or, &c.
259. *Vide ſuprà verſ.* 140.

INTERPRETATIO.

& Gallum rebellantem (*pro Libertatibus Eccleſiæ ſuæ*) & qui ſunt ſacerdotes puri (*Orthodoxi*) implent cellas ſuavi nectare; adhærent diverſis floribus, & vagantur circa alba Lilia muneribus & verbis (*Commendatoriis*) Latini (*Pontificis*). Cum ſomnus celer delapſus è ſyderibus cœleſtibus, diſcuſſit aerem obſcurum, & fugavit umbras, bibunt oblivia: ſocii tui ſervent hanc conſuetudinem myſteriorum, tu ipſe hanc ſerva.

Nuntius Deorum fert dura mandata Sibyllæ; ille vectus quatuor equis, ad muros regis (*Galli*) ſenis; quem nunc video pugnare adverſus fata (*Janſenii*); erigitque animum ad evertendam gentem impiam. Sola ſalutis via quæ reſtat victis, eſt nullam ſperare ſalutem; ni viri mutent linguam prope altaria: ſuppliciis cruciantur; incluſi in tenebris, & obſcuro carcere, expectant ſupplicium; quæ turba maxima eſt.

Rex

Digitized by Google

Multa movens animo Rex arva Latinus & urbes
Jam ſenior longâ placidas in pace regebat.
At ſæva è ſpeculis tempus Dea nacta nocendi,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis,
Ardua tecta petit, ſtygiis ſe concitat alis;
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit, involvitque domum caligine cœcâ.
Tum Dea nube cavâ tenuem ſine viribus umbram
Divini aſſimulat capitis, dat inania verba,
Dat ſine mente ſonum, medio flagrante tumultu,
Infernique ciet tenebris ſata nocte laborem.
Talia flammato ſecum Dea corde volutans
Bacchatur; nec dum antiquum exſaturata dolorem,
Exultat telis, perque alta cacumina regnat.
Tum certare odiis animos accendit agreſtes

Majus

N O T Æ.

264. *Dea, vel Sibylla, vel Dira Diſcordia.*
270. *Divinum Caput Unigenit.*
272. *Doctrinam Pelagiii.*

INTERPRETATIO.

Rex Latinus volvens mente plurima, jam grandævus, gubernabat agros & urbes quietas in pace diuturnâ; at crudelis Dea (*Diſcordia*) nacta è ſpeculis tempus nocendi implicata tæniis ſanguinolentis circa capillos angui-neos; conſcendit altum culmen (*Vaticani*): Stygiis alis immiſſa; emittit gutture magnum fumum, res miranda dictu, & implet totum palatium obſcuris tenebris. Deinde Dea effingit levem umbram abſque viribus, ex nube vacuâ, ut caput divinum: tribuit ei vana verba, ſonum vocis abſque animâ, medio tumultu ardente; & filia noctis excitat laborem infernis umbris. Talia volvens Dea privatim, animo ardente furit: nondum expleta ſecundum veterem indignationem; gaudet armis, & regnat victrix per altos vertices (*templorum*): tum inflammat ad

odia

Majus adorta nefas, majoremque orſa furorem.
Vicinæ ruptis inter ſe legibus urbes,
In furias ignemque ruunt, tractimque ſuſurrant;
Nec reſponſa poteſt conſultus reddere Vates
Fata docens: quâcumque viam virtute petivit,
Succeſſum Dea dira negat, domus alta ſileſcit
Cœlicolæ magni; comites qui ſigna ſecuti
Fatidici, fracti bello, fatiſque repulſi,
Exceſſere omnes adytis ariſque relictis.
Sacrati Capitis regnum Dea gentibus eſſe
Si qua fata ſinant jam tum tenditque fovetque.
Vitam oro, patiar quemvis perferre laborem,
Per medios inſtans operi, populumque patreſque.
Continuo has leges ſacratâ ſede recondam:

Hîc

N O T Æ.

280. *Queſnelius docens Doctrinam Paulinam.*

283. *Cœlicola magnus, Summus Pontifex Dux Cœlicolarum, de quibus ſuprà verſ.* 47.

INTERPRETATIO.

odia animos ruſticos; auſa grandius crimen, & auſa majorem furorem. Lumen rarum ſplendet, totum cœlum ſonat ſtrepitu: urbes finitimæ violatis fœderibus, rapiuntur in furorem, & ignem; ſuſurrantque longo tractu. Neque Aruſpex aperiens fata Deorum, interrogatus, poteſt reddere reſponſa: quâcumque vi tentavit modum, Dira divina ei abnuit ſucceſſum: alta aula magni *habitatoris* cœli conticeſcit; ſocii qui ſecuti ſunt vexilla Aruſpicis, afflicti bello, & fatis repulſi, abierunt (*apud Batavos*) deſertis altaribus, & penetralibus. Jam tunc Dea contendit ut ſacrum caput (*Unigeniti*) imperet populis; protegitque illud in hanc ſpem, ſi fatum id quoquomodo permittat peto vitam, paratus ero tolerare quemlibet laborem: inter medios *præſules* & populum urgens opus. Ego ſubito occultabo hæc fœdera in loco ſacro: hîc an-

tiqua

Digitized by Google

Hîc genus antiquum, ſupplex in rebus egenis
(Ibat ovans Divûmque ſibi poſcebat honorem)
Sacra Deûm ſanctique patres qui certa reportent,
Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo.
Ne dubita nam vera vides convulſa ruinâ,
Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas.
Sortitus fortunam oculis, ne quære doceri
Quem caſum portenta ferant ſic omnia fatis,
In pejus ruere, ac retro ſublapſa referri.
Diis aliter viſum; contra juviſſe nefandum eſt:
Extinxiſſe nefas potius Dii numine firment.
Intemerata fides, Romam tibi cauſa videndi,
Extulit os ſacrum cœlo, tenebraſque reſolvit.
Dum conſulta petis, ſtrinxit pietatis imago
Corda volente Deo, retinet longævus aruſpex
Fata canens mœſto defixus lumina vultu.

Diſce

N O T Æ.

295. 296. *Vide in Bullâ, Prop. XCV, in quâ Fatidicus Senectutem Eccleſiæ prædicit.*

305. *Aruſpex, Fatidicus, &c. idem ſonant.*

INTERPRETATIO.

tiqua propago ſupplex in rebus extremis; illa currebat exultans, & exigebat ſibi cultum divinum; myſteria Deorum, & Divi patres qui referunt certam (*doctrinam*) proſtrati fulmine, verſantur in imo fundo. Ne dubita, nam veritatem aſpicis concuſſam clade: adeo remota vetuſtas temporis poteſt mutare res. Explorans oculis fortunam *favorabilem*, ne petas doceri qualem exitum prodigia iſta prædicant, ſic omnia abire in pejus contra fata (*Divina*) & retro acta converti: aliter viſum eſt Diis; crimen eſt adjuviſſe (*hæreticos*) contra Deorum voluntatem. Dii potius confirment auctoritate ſua extirpationem nefandæ (*hæreſeos*). Fides inviolata (*propter quam*) neceſſarium tibi fuit Romam petendi, erigit ſacrum vultum in cœlo, & diſſipat noctem (*hæreſeos*) dum requiris reſponſa, pietatis Simulachrum perculit corda hominum Deo jubente; ſenior aruſpex vultu triſti figens oculos in terram docens (*doctrinam*) fatorum, cohibet te. O puer

ſume

Diſce puer virtutem ex me, verumque laborem:
Noſter eris, ſatis eſt gentem effugiſſe nefandam.
Accipe quæ peragenda prius: ſecreta Sibyllæ
Juſſa time, neu præceptis parere recuſa
Dii cujus jurare timent, & fallere numen;
Cui triplici crinita jubâ galea alta Chimæram
Suſtinet Ætnæos efflantem naribus ignes.
Tam magis illa fremens, & triſtibus effera flammis,
Quam magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ
Sacrati Capitis, centum cui brachia dicunt
Centenaſque manus tentare pericula belli,
Munera portantes, argenti aurique talenta.
Atque hîc exultans ſucceſſu major Imago,
Prodigium canit, & triſtes denuntiat iras.
Prima hominis facies, præclarâ ſtirpe Deorum,
Per medias urbes agitur populoſque feroces.

Ipſe

N O T Æ.

319. *Major Imago antea V Propoſitiones continebat, nunc verò CI.*

I N T E R P R E T A T I O.

ſume ex me exemplum virtutis, & digni laboris; noſter eris, ſufficit tibi fugiſſe nationem (*hæreticam*). Audi quæ priùs perficienda ſunt; tu métue imperia arcana Sibyllæ, & ne abnuas obtemperare mandatis illius cujus Dii metuunt jurare, & violare Divinitatem; cui caſſis excelſa, criſtata, *ſuſtinet tribus jubis* chimæram emittentem gutture flammas Ætnæas; tanto magis illa fremens, & minax Diris flammis, quanto magis fuſo ſanguine ſæviunt prælia ſacri capitis (*Unigeniti*) cui ajunt centum brachía, & centum manus experire pugnæ diſcrimina, portantes dona, argenti, & talenta auri. Et nunc lætum fortunâ proſperâ Simulachrum (*Bullæ*) majus quam antea, canit prodigium, & prædicit funeſtas iras. Superior forma eſt viri ex illuſtri Deorum genere; vagatur per medias urbes, & populos furentes. Pater Latinus dicebatur

Ipſe ferebatur Phœbo ſacraſſe Latinus,
Immotamque coli dedit, ore effatus amico eſt:
Et quo quemque modo fugiaſque feraſque laborem
Expediet, curſuſque dabit venerata ſecundos.
Te quoque magna manent regnis penetralia noſtris,
Semper honore meo, ſemper celebrabere donis,
Ni refugis, tenueſque piget cognoſcere curas;
Et genus inviſum vertentem lumina collo,
Criminibus terrere novis, hinc ſpargere voces,
In vulgum ambiguas: ea prima piacula ſunto,
Excipere inſidiis, detrudere finibus hoſtem.
Triſte lupus ſtabulis; ſacrum qui cuſpide robur
Læſerit, ingenti luſtrat dum ſingula templo,
Cum dabit amplexus, atque oſcula dulcia figet,

Invi-

N O T Æ.

323. *Vide ſuprà verſ.* 120. *qui ſit Phœbus.*

330. *Gallicè*, Torticolis: *ſic nominantur à quibuſdam Janſenii aſſeclæ.*

334. *Robur, id eſt Bulla virium Pelagii, Bulla ſcilicet Unig.*

INTERPRETATIO.

tur dicaſſe illam Phœbo (*Gallico*) & voluit coli ſtabilem; ore benevolo locutus eſt; & (*Imago*) explicabit tibi quâ ratione tolerabis aut evitabis unumquemque laborem, & à te culta, impetrabit tibi curſus felices: magna etiam ſacraria expectant te in regnis noſtris; ſemper decoraberis cultu meo, ſemper muneribus meis: niſi nolis, & te tædeat diſcere minima quæque, & terrere novis criminationibus, inde emittere in plebem ſermones dubios, adverſus gentem odioſam, torquentem oculos poſt collum. Hæ primæ ſint expiationes, decipere dolis, pellere hoſtem ultra terminos. Lupus funeſta res eſt gregibus. Ille qui vulnerarit telo ſacras vires (*Bullæ*) dum circumſpicit ſingula magna in templo; cum amplectetur te, & præbebit

tib

Digitized by Google

Inviſum hoc detrude caput ſub Tartara telo:
Incipe ſi qua animo virtus depellere peſtem;
Nec te pœniteat calamos armare veneno.
Da nunc, Tybri pater, Romanæ conditor arcis,
Tutari Italiam; fineſque inviſe Latinos;
Quidve ſequens tantos poſſim tolerare labores.
Alta petunt ac tela vides inimica Latinis,
Et lupus inſidias explorat ovilia circum.
Principio Latium Cuſtodi, & conſule longe,
Eſt locus Italiæ in medio ſub montibus altis,
Nobilis, & famâ multus memoratus in oris.
Hîc mihi magna domus celſis caput urbibus exit,
Hoſpitium antiquum cœli in regione ſerenâ,
Dirarum nidis domus opportuna volucrûm,
Hîc labor ille domus, & inextricabilis error
Cui datus hærebam Cuſtos in limine Diræ,

Ad-

NOTÆ.

350. *Corvis ſcilicet.*

INTERPRETATIO.

tibi ſuavia oſcula; armis tuis demitte ad inferos hoc caput odioſum; incipe, ſi vis aliqua eſt in animo tuo, avertere peſtem (hæreſeos), nec pigeat te, venenum diſtillare è calamis. O (Pater) Tyberine, fundator Arcis Romanæ, ut Italiam tuear; vigila ſuper regionem Latinam; & (dic) quid exequendo poſſim emergere è tantis caſibus. Procedunt (*hæretici*) altitudinibus (*templorum*) & cernis arma infenſa Latinis; & lupus meditatur inſidias circa ovile. Obſerva præcipue Latium, & provide procul. Eſt locus in medio Italiæ ſub altis montibus, inſignis & celebratus famâ in regionibus plurimis: hîc mihi eſt ampla domus ſupereminens altas urbes; hoſpitium vetus ſub parte cœli tranquillâ latebra accommoda nidis avium funeſtarum. Hîc ille difficilis domûs labor, & error inexplicabilis, cui commiſſus adhærebam ad januam furiæ (*Sibyllinæ*)

Adventante Deâ noctuRnas inchoat aras,
Romanoſque tuos Superûm jam ſignat honore.
Illum ego per flammas, & mille ſequentia tela,
Eripui his humeris, ne quo ſe numine mutet.
Numina magna Deûm, ſpatiis diſcluſus iniquis,
Componens manibus, lato te tramite ducam.
Illic res Italas, Romanorumque triumphos
Mens agitat mihi, nec placidâ contenta quiete eſt:
Vincet amor Patriæ, laudumque immenſa cupido.
Haud mora; ſic fatus nocti ſe immiſcuit atræ.

INTERPRETATIO.

na): appropinquante *Sibyllâ* ſtruit nocturna altaria, & inſignit Divino ſplendore Romanos tuos. Ego ſervavi illum inter flammas, & mille ſpicula inſequentia; extraxique meâ induſtriâ, ne mutet ſe ad Dei nutum: nunc arctatus ſpatiis anguſtioribus, componens manibus meis *religionem* magnorum Deorum ducam te per ſpatioſam viam; animus ſuggerit mihi, aggredi res Italas, & victorias Romanorum; nec contentus eſt otio tranquillo: amor Patriæ ſuperabit, & immenſum deſiderium gloriæ. Sine intermiſſione, ita loquutus (*Vates*) confudit ſe cum nigris tenebris.

SIBYLLA CAPITOLINA, P. VIRGILII MARONIS POEMATION.

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

P*RÆCOGNITO adventu Diræ Sibyllinæ, Cœlicolæ per juga longa ſedentes terrore percutiuntur. Eorum ingenia, & mores. Hortatur ſolaturque eos purpuratus longævus Fatidici Vatis aſſecla & fautor. Legatos mittit ad regem Liligerum. Oratio Legati concionantis pro Fatidici diſcipulis: acriter in Corvos Sibyllinos invehitur; Latinum regem in jus vocat, & ad Concilium appellat. Reſpondet Liliger, & Cœlicolas Corvos quos hoſpitio excepit, regio more defendit; minaciter imperans, multaque promittens, ut coram pietatis Simulachro omne genu flectatur. Regi Latino Legatos mittit, eique religioſum tributum ſolvit, obſequiumque præſtat. Verùm Purpurati Latini audito cœli fragore, & Appellatione ad Concilium, ingemiſcunt. Implorat Latinus auxilium Cœlicolarum Corvorum animoſe audens extrema tentare & pati, pro auctoritate & Simulachro Sibyllæ ſuæ Capitolinæ.*

AT

Digitized by Google

AT procul ut Diræ ſtridorem agnovit & alas,
Flos veterum, virtuſque virûm quem juſtus in hoſtem
Fert dolor, & ſtimulos acres ſub pectore vertit;
Exquiritque, auditque virûm monumenta priorum:
Obtutu tenet ora, ſoloque immobilis hæret.
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procellâ;
Iræque, inſidiæque Dei comitatus aguntur;
Invidia infelix furias, vireſque miniſtrat;
Hæc paſſim Dea fœda virûm diffundit in ora:
Talis ſe ſata nocte tulit terraſque petivit.
Jam vero in tectis prædivitis urbe Latini
Præcipus fragor, & variis ſententia dictis;
Effuſus labor atque immitis rupta Tyranni
Fœdera: Dii talem terris avertite peſtem.

Omni-

NOTÆ.

2. *Sorbonici aliique genuini Gallicani.*
7. *Dei Unigeniti ſcilicet.*
9. *Dea Sibylla.*
13. *Tyrannus Latinus.*

INTERPRETATIO.

AT quando flos, & virtus antiquorum hominum, quem indignatio legitima impellit adverſus hoſtem (Latinum) & agitat ſub pectore ſtimulos acutos; petitque, diſcitque ſingula veſtigia veterum hominum: procul animadvertit ſtridorem & volatum furiæ (*Sibyllinæ*), tenet vultum defixum intuendo, & ſtat immota loco. Heu vincimur fatis, inquit, & raptamur tempeſtate: iræ, & inſidiæ comites Dei (*Unigeniti*) ducuntur: invidia infelix ſuppetit ei furias, & robur. Turpis furia ſpargit hæc paſſim per ora hominum, Dea filia noctis, talis intulit ſe & adivit terras. Jam vero præcipuus tumultus, & pars doloris longe maxima eſt per domos, in urbe Latini opulenti, multiplexque ſententia variis verbis: omnis opera perdita eſt, & pactum crudelis *Pontificis* (*Romani*) reſciſſum: Dii ſervate terras à tali pernicie. *Furia* com-

pos

Omnibus exhauſtos jam caſibus omnium egenos,
Aut undis abolere poteſt, aut vincere flammâ,
Promiſſi Dea facta potens confundere fœdus:
Dat tellus gemitum jam rebus luce retectis.
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis,
Mane ſalutantum totis vomit ædibus undam,
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus:
Fata viam invenient, & ſancta oracula Divûm.
Sic ait, & partes animum verſabat in omnes,
Talia jactantem dictis, lachrymaſque ciebat.
At patiens operûm, parvoque aſſueta juventus,
Excubat exercetque vices quod cuique tuendum eſt.
Præſtantes virtute legit; non purpura regûm
Flexit, & infidos agitans diſcordia fratres,
Corda volente Deo, multo ſpectata labore.
Pervigilat, potuit rerum cognoſcere cauſas:
Parva ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbrâ.

In-

N O T Æ.

31\. *Matris Eccleſiæ, aut Univerſitatis.*

INTERPRETATIO.

pos facti promiſſi, turbare fœdus; poteſt diſſipare, & ſuperare undis, aut flammâ, nos fractos omnibus infortuniis, indigentes omnium rerum. Terra reddit gemitum rebus jam detectis per lucem. Apud nos quidem domus alta portis ſuperbis, non emittit ex totis ædibus magnam multitudinem hominum, mane ſalutantium: ſed *nobis* licet differre, adhibere moras tantis rebus; fata reperient viam, & ſacra monita Deorum. Dixit hæc, & convertebat in varias partes animum ſpargentem verbis talia, & conabatur movere lachrymas. Sed juventus patiens in laboribus, parvoque aſſueta, excubat, & variat vices *ſecundum id* quod unicuique *contingit* ſervandum; eligit inſigniores virtute; nec purpura regum, nec diſſentio quæ turbat infidos fratres movit corda, voluntate Dei explorata magnis curis. Vigilat, & potuit diſcere cauſas rerum; parva (*ſocietas*) attollit ſe ſub grandi umbracula

matris

Digitized by Google

Interea longum cantu ſolata laborem,
Immuniſque ſedens, immenſa volumina verſat.
Compoſuit leges quâ numina voce moveret,
Gaudia pertentant mentem cognoſcere Divos.
Nulli fas Italo tantam ſubjungere gentem:
Quæſivit cœlo lucem ingemuitque repertâ.
Præſenſit, motuſque excepit prima futuros,
Omnia tuta timens ſopitos ſuſcitat ignes.
Tum verò manifeſta fides: lenire dolentem
Solando cupit, & dictis avertere curas,
Paſtor Ariſtæus, laudum percuſſus amore
Purpureo velare comas adopertus amictu.
Quid ſtruat his cœptis, & fata extrema ſecutus?
Agnovit longè gemitum, præſaga mali mens;
Tum verò infelix volvit ſub pectore ſortem,
Cuncta Pater fatoque urgenti incumbere vellet.

Maxi-

NOTÆ.

42. *Ariſtæus, Præſul Lutetiæ quæ caput eſt Regni.*

INTERPRETATIO.

matris (*Eccleſiæ*). Interim leniens cantilenis laborem longum, & expers (*Reipublicæ*) munerum, verſat in manibus ingentia volumina (*librorum*). Inſtituit leges, quibus verbis Deos flecteret; lætitia mulcet animum Deos cognoſcere: nemini Italo licet ſubdere tantam nationem. Quæſivit lucem ex alto cœlo, & ingemuit poſt lucem repertam. Cognovit prima tumultum futurum; metuens omnia vel tutiſſima ſuccendit ignem ſepultum. Tunc vero clara fuit veritas: *præſul* optimas percitus magnâ cupiditate gloriæ, tegere capillos, coopertus velo purpureo; optat conſolando placare moerentem, & pellere curas ſermonibus. Quid poteſt machinare his conſiliis & fortunam ultimam ſequens fatorum (*Janſenii*)? Mens præſagiens calamitatem, agnovit procul lamenta, & tunc quidem miſer meditatur in animo fatorum (*doctrinam*); velletque *Præſul* evertere omnia ſecum, & vim addere fatis

(*Di-*

Maxima res hoſtem regi ſe inferre Latino:
Præcipitant curæ ſacrata reſolvere jura;
Hoc virtutis opus fatorum poſceret ordo.
Attonitis inhians animis præcepta Sibyllæ,
Multaque præterea Vatum prædicta priorum
Certa ſequi, famâ totum vulgata per orbem
Componens, ſenſit medios delapſus in hoſtes.
Cuncta videns magno curarum fluctuat æſtu:
Canitiem immundo perfuſam pulvere turpans,
Ad cœlum tendit palmas formidine preſſus.
Non tamen abſtinuit, vocique iræque pepercit:
At tibi pro ſcelere exclamat, pro talibus auſis......
Dii tibi ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid,
Uſquam juſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti,
Præmia digna ferant: hæc belli ſumma nefandi

Tuque

N O T Æ.

59 *& ſeqq.* ***Bulla Fabricatorem alloquitur, Fabroni hoſtem infenſiſſimum.***

INTERPRETATIO.

(*Divinis*). Maxima res eſt opponere ſe hoſtem Latino *Pontifici*. Urget ipſum ſollicitudo violare Sacramenta arcana (*Romanorum*); ſeries fatalis (*doctrinæ*) exigeret hunc effectum virtutis. Attendens ſtupentibus animis, juſſa Sibyllæ, & comparans *eis* præterea Vaticinia veterum Vatum, quæ certe obſervari debent famâ cognita per omnes terras; agnovit ſe deveniſſe in medium hoſtium. Cernens omnia agitatur magnis fluctibus curarum; fœdans albos crines mixtos ſordido pulvere, attollit ad aſtra manus, oppreſſus formidine. Non tamen ſibi temperavit, nec iram & vocem continuit: tibi vero, exclamat, Dii referant meritam gratiam; ſi aliqui Dii reſpiciunt pios; ſi eſt ullo in loco aliquid juſtitiæ, & mens conſcia ſibi æquitatis, tu (*Sibylla*) & *Unigenitus* tuus cujus nomen magnum & memorabile,

Digitized by Google

Tuque puerque tuus, magnum & memorabile nomen!
Eheu! quid volui miſero mihi? floribus auſtrum
Perditus & liquidis immiſi fontibus apros.
Juſtitia excedens voces dum jactat inertes,
Inter cunctantes cecidit moribunda miniſtros.
Impreſſumque nefas (formidine crimen acerbat)
Ecce ruit, magniſque urbem terroribus implet.
Nunc, ô nunc liceat crudelem abrumpere vitam!
Paſcere oportet oves: vos ô clariſſima mundi
Lumina, digna manet divini gloria ruris.
Dicite felices animæ, tuque optime Vates
Pauca meo Gallo: compoſtus pace quieſcit,
Italiam regeret, ſi mens non læva fuiſſet.
Quem ſi fata virum ſervant, muroſque Latinos
Contingat, doceas iter, & ſacra oſtia pandas.
Vadite & hæc memores regi mandata referte

Gal-

NOTÆ.

63. Puer, Natus, Unigenitus, &c. idem ſonant: filius innuptæ Sibyllæ, ergo ſpurius.

INTERPRETATIO.

morabile, eſtis ſumma belli ſcelerati. Heu miſer quid feci? immiſi auſtrum floribus, & apros puris fontibus imprudens. Juſtitia abiens, dum emittit debilia verba, cecidit moribunda, inter miniſtros ſtupefactos. Et (*Hæreſis Pelagii*) impreſſa in (Bullâ) exaſperat metu accuſationem: ecce currit, & replet urbem magno metu. O jam jam liceat finire moleſtam vitam! oportet paſcere oves, vera laus ruris divini vos ſpectat ô lumina mundi ſplendidiſſima. O animæ fortunatæ, & tu optime Vates alloquimini parumper meum (*regem*) Gallum: quieſcit fruens dulci pace; poſſideret Italiam niſi animus imprudens fuiſſet. Si fata hunc *principem* ſervant, & adeat urbes Latinas; monſtra ei iter, & aperi ſacras portas. Ite & memores reportate hæc mea dicta regi *Gallorum*, erga

quem

Gallo, cujus amor tantùm mihi creſcit in horas
Quantùm vere novo viridis ſe ſubjicit alnus.
Centum Oratores auguſta ad mœnia regis
Ire jubet, reſides animos deſuetaque corda
Ignotas tentare vias & limina regum.
Imperio læti parent ac juſſa faceſſunt;
Ergo iter incœptum celerant rumore ſecundo.
Nuntius ingentes ignotâ in veſte reportat
Adveniſſe viros; ille intra tecta vocari
Imperat, ac ſolio medius conſedit avito:
Omnia longævo ſimilis, vocemque coloremque
Et crines; ſed cruda Deo viridiſque ſenectus.
Poſtquam introgreſſi & coram data copia fandi;
Quæ referant fari jubet, & reſponſa repoſcit
Ordine cuncta ſuo: placido prior edidit ore,
Unus qui nobis cunctando reſtituit rem,

Fata

N O T Æ.

94. *Ravechet Sorbonæ Syndicus.*

INTERPRETATIO.

quem amor meus tantum creſcit ſingulis horis, quantum alnus virens attollit ſe ineunte vere. Imperat centum oratores ire ad magnificum palatium regis; mentes jam dudum otioſas, & corda deſueta explorare iter incognitum, & domos regum. Celeriter omnes obediunt læti mandato: igitur rumore proſpero deproperant iter ſuſceptum. Nuntius refert veniſſe magnos homines in habitu incognito: rex jubet eos adduci intra domum, & ſedit in avito ſolio, in medio ſuorum; ſimilis ſeni, & vocem & colorem, & capillos, ſed ſenectus robuſta & vegeta Deo (*Gallo*). Poſtquam ingreſſi ſunt, & facultas conceſſa eſt alloquendi præſentem, rex jubet eos dicere quænam verba reportent, & quærit ſingula reſponſa ſuo ordine. Prior loquutus eſt ore tranquillo ille qui ſolus nobis reparat *religionem* cunctando; qui denuo narrabat fata Deo-

rum,

Digitized by Google

Fata renarrabat Divûm, curſuſque docebat,
Quem Phœbi interpres multo compellat honore,
It comes & paribus curis veſtigia figit,
Incenditque animum famæ venientis amore.
Ille hæc depoſitâ tandem formidine fatur.
  Rem nulli obſcuram noſtræ nec vocis egentem
Conſulis, ô bone rex: illuſerit advena regnis,
Concordes ſtabili fatorum numine muſſant.
Impius ante aras, atque auri cœcus amore,
Invidet imperium: mens effera ne quid inauſum
Aut intentatum ſceleriſve dolive fuiſſet,
Conſilio verſare dolos ingreſſus & aſtu,
Ut mare ſollicitum ſtridet refluentibus undis,
Æſtuat ut clauſis rapidus fornacibus ignis.

Mul-

NOTÆ.

96. *Cancellarius Galliæ.*
101. *Advena, Italus, Fabroni aut alius quiſpiam.*

INTERPRETATIO.

rum, & docebat curſum (*Theologiæ*) quem Cancellarius Apollinis (*Gallici*) alloquitur multo honore, comitatur & figit pedes agitatus ſimilibus curis, inflammatque animum ejus cupiditate gloriæ futuræ. Ille excuſſo metu hæc demum loquitur.

Conſultas, o bone rex, in re ignotâ nemini, nec indigente voce noſtrâ. *Socii* unanimes in firmo fatorum ordine verentur dicere advenam illuſiſſe regno (*tuo*). Ille ſacrilegus & occæcatus cupidine divitiarum, fugiens arma Jovis; animus concitatus, ne ſupereſſet quidquam criminis, aut fraudis, quod non auderet, aut tentaret: incipiens conſulto agitare dolos, mente & ſolertiâ; ſtridet quemadmodum mare turbatum fluctibus reciprocantibus, æſtuat quemadmodum ignis fervens in fornacibus clauſis.

 Plu-

Digitized by Google

Multa malus ſimulans infecit pabula tabo:
Fas omne abrumpit, prætexit nomine culpam;
Sævit & in lucem, tantæ eſt victoria curæ;
Et pater ipſe ſuo ſuperum jam ſignat honore.
At ſociis ſubitâ gelidus formidine ſanguis
Diriguit, precibuſque jubent expoſcere pacem.
Deponunt animos nil magnæ laudis egentes,
Implorantque Deos obteſtanturque Latinum.
Quominus eſt illis curæ mortalis egeſtas,
Non ullum auxilium; jactant reſponſa Deorum,
Exilioque domos & dulcia limina mutant.
Omnibus idem animus ſceleratâ excedere terrâ,
Nunc & pauperiem & duros perferre labores,
Flectere ſi nequeo ſuperos. Sic fata Deûm rex

Sor-

N O T Æ.

109. *Tabum, virus, &c. doctrina, ceu lolium: Vid.* Evang. Matth. *Cap. XIII. Verſ.* 25.

I N T E R P R E T A T I O.

Plurima malitioſè ſimulans fædavit pabula (*divina*) veneno (*hæreſeos*). Violat jura omnia, velat crimen honeſtâ appellatione, & furit in lumen (*veritatis*), adeo appetit victoriam, & ipſe *Pontifex* inſignit eum divino ſplendore. At ſociis *meis* ſanguis frigidus conſtipatur repentino timore, & volunt precibus petere pacem: ſubmittunt animos non cupidos magnæ gloriæ; invocant Deos & precantur Latinum (*Pontificem*). Quominus ipſi provident mortali indigentiæ, nullum habent ſubſidium: prædicant oracula divina, & relictis domibus, gratiſque liminibus abeunt in exilium. Idem eſt omnibus conſilium abire ex impiâ regione, nunc tolerare & paupertatem, & labores difficiles, ſi non poſſum flectare ſuperos. Ita rex Deorum diſponit fata, & miſcet fortunas; munera (*cæ-*

leſtia)

Digitized by Google

Sortitur, volvitque vices: ſunt præmia victis.
Cogere Concilium, duri ſolatia caſûs,
Cum ſociis ardent animi: ſubit ira cadentem
Ulciſci patriam: tua ſi mihi certa voluntas,
Urbem hodie cauſam belli, regna ipſa Latini,
Italiam petere; & pietate inſignis & armis
Experiare licet poſſit quid vivida virtus.
Templa Dei ſaxo venerabar ſtructa vetuſto,
Matre Deâ monſtrante viam data fata ſecutus.
Nunc quoque mens eadem perſtat mihi, te quoque dignum
Finge Deo, rebuſque veni non aſper egenis.
In dubiis reſponſa petunt rumoribus urbes;
Quem ſequimur, quove ire jubes, ubi ponere ſedes?
Fare age, namque omnem curſum mihi proſpera dixit
Relligio, & cuncti ſuaſerunt numine Divi,
Cum Patribus Populoque, viros tot caſibus actos.
Auſus & afflictis melius confidere rebus,

Ten-

NOTÆ.

126. *Libertates Gallicanæ Eccleſiæ.*

INTERPRETATIO.

leſtia) reſervantur victis. Cupio cum ſociis convocare Concilium ad ſolatium acerbæ calamitatis: accenſus eſt furor in animo, vindicandi Patrias (*Libertates*) everſas: ſi tua voluntas mihi nota fiat, petendi Italiam; Urbem cauſam *Controverſiarum*, regnum ipſum Latini (*Pontificis*) illuſtris pietate & fortitudine, licet tibi explorare quid valeat virtus ardens. Reverebar templum conditum vetere ſaxo, Matre *Eccleſiâ* iter oſtendente, obſecutus fatis mihi propoſitis. Nunc etiam reſtat mihi eadem voluntas: oſtende te quoque dignum (*amore*) Dei, & accede non offenſus rebus inopibus. Urbes rumoribus poſcunt reſponſa in rebus dubiis. Quem ſequemur, aut quò imperas nos ire, & ubi ſtatuere ſedes? dic age, nam religio propitia, mihi declaravit totum iter meum, & omnes Dii auctoritate ſuâ *firmarunt* homines jactatos tot caſibus, cum Senatoribus & Populo. Auſus & melius ſperare de rebus

male

Digitized by Google

Tentamenta tui pepigi, memeipſe meumque
Objeci caput, & ſupplex ad limina veni.
Dura rudimenta, & nulli exaudita Deorum
Vota preceſque meæ; non vitæ gaudia quæro,
Contra ego vivendo vici mea fata ſuperſtes,
Me liceat caſum miſerari inſontis amici:
Haud equidem ſine mente reor, ſine numine Divûm
Fata canens ſylvis it contra dicta Tyranni.
Jam tandem ipſe dolos tecti, ambageſque reſolvit:
Idem orans mandata dabat, nunc pectore firmo,
Conciliumque vocat, quoniam eſt oblata facultas.
Tum Vates, utcumque ferent ea facta minores
Paſtorale canit ſignum: ſed amœna piorum
Concilia, ac veras audire & reddere voces,
Et reor, & ſi quid veri mens augurat opto.

Hæ

NOTÆ.

145. *Queſnelius, de quo Libr. I, ſub nomine* Fatidici, *&* Auguris.

INTERPRETATIO.

male affectis, adhibeo experimenta tuæ voluntatis; ego memet expoſui & acceſſi ſupplex ad domum tuam. Acerba experimenta, & vota, & preces meæ à nullo Deorum auditæ! Non cupio gaudia vitæ, contra ego vivendo (*uſque in hoc tempus*) exceſſi mea fata. Liceat me miſereri infortunium Amici inſontis: certè non ſine conſilio & ſine voluntate Deorum, ut puto, Vates fata (*divina*) docet in (*Batavâ*) ſylvâ adverſus juſſa (*Latini*) tyranni; nunc denique ipſe explicuit fraudes & circuitus (*Vaticani*) Palatii. Ipſe rogans dabat juſſa. Nunc animo conſtanti tendit cogere Concilium; quin etiam Vates, quomodocumque poſteri accepturi ſunt hæc facta canit paſtorale ſignum. Sed cupio, & ſi mens mea aliquid veri conjicit, opinor concilia piorum (præſulum) propitia futura, & acceptura, ac redditura voces (*orthodoxas*). Hæ debent

eſſe

Digitized by Google

Hæ tibi erunt artes, paciſque imponere morem:
Nam ſine vi non ulla dabit præcepta Latinus.
Non ſervata fides: vim duram & vincula capto
Tende; doli circum hæc demum frangentur inanes.
Inter ſacra Deûm lethæa papavera mittes,
Contuſoſque animos, & res miſerabere fractas.
Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum:
Hæc mea magna fides fatis egere volentem
Inſequitur. Quem das finem, rex magne, laborum
Tantorum? Miſerere animi non digna ferentis.
Oro ſi quis adhuc precibus locus, exue mentem,
Nos tua progenies: da, non indebita poſco,
Regna meis fatis. Finem dedit ore loquendi,
Multa putans, ſortemque animo miſeratus iniquam.

N O T Æ.

166. *Univerſitas Filia Regum.*

I N T E R P R E T A T I O.

eſſe artes tuæ, & ſtatuere conditiones pacis: quippe (*Pontifex*) Latinus nullam dabit *explicationem* (*Bullæ*), niſi coactus. Fides non eſt ab eo ſervata; quando ceperis illum, injice illi vim durorum vinculorum. Contra hæc vincula fraudes ejus inutiles cadent. (*Controverſiis*) ſuprà myſteria Deorum dabis inferias è papaveribus Lethæis: miſereberis gentis afflictæ, opumque direptarum. Certe ſic cogitabam animo, & exiſtimabam ita fore: mea *firma* fides proſequitur (*doctrinam*) illius qui fatis divinis indigere vult. Quem ponis terminum tot calamitatum, ô magne rex; miſerere animi indigna paſſi: precor ſi quis adhuc aditus eſt precibus, depone tuum conſilium; nos ſumus tua ſoboles: concede regna debita quæ peto meis fatis (*divinis*). Fecit finem loquendi voce: agitans plurima, & miſerans animo ſortem acerbam.

Digitized by Google

Præfatus Divos ſolio rex infit ab alto,
Atque illum tales jactantem pectore curas
Alloquitur: Fratres cœlo capita alta ferentes
Semine ab æthereo, magnum Jovis incrementum;
Spiritus intus alit totamque infuſa per artus,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Parcius iſta viris tamen objicienda memento.
Virtute exſuperas tanto me impenſius æquum eſt
Conſulere, atque omnes metuentem expendere caſus.
Italiam quæro Patriam, & genus ab Jove ſummo;
Urbem quam dicunt haud mollia juſſa ferentem.
Fas & jura ſinunt: pietas antiqua labores
Reſpicit humanos, vitæ mortalis honorem.
Cœleſtium vis magna jubet: rex ipſe Latinus
More jubebatur ſacrata reſolvere jura.
Abſtinuit tactu pater, averſuſque refugit,
Fœda miniſteria; accipiet, Diviſque videbit
Per-

INTERPRETATIO.

Rex præcatus Deos, incipit è ſummo ſolio, & illum alloquitur volventem animo tales curas. Spiritus (ait), fovet intus fratres attollentes capita uſque ad cœlum; magnos Jovis alumnos ex origine cœleſti; & mens dedita per omnia membra (*Societatis*), movet totam illam molem; & miſcet ſe cum magno illo corpore, memineris ideo iſta cautius eſſe exprobando viris. Quantum tu excellis fortitudine, tanto ſtudioſius juſtum eſt me providere, & conſiderare omnia pericula. Quæro Italiæ paternam (*Religionem*) & progeniem ſupremi Jovis: Urbem Romam quæ dicitur portare non grata mandata. Fas & leges mihi hæc permittunt; *Religio* vetus ſpectat labores hominum, tanquam honorem vitæ mortalis. Magna poteſtas Deorum hoc imperat; ipſe *Pontifex* Romanus cogebatur ſecundum ritum diſſolvere (*communionem*) myſteriorum: ſed Pater (*ſanctus*) abſtinuit à tactu (*tædarum*), & abhorrens fugit turpe miniſterium. Accipiet & videbit heroas (*Sorbonicos*)

Digitized by Google

Permiſtos heroas: præſcripſit pagina nomen;
Nec calamis ſolum æquiparas ſed voce magiſtrum.
Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis:
Tu modo poſce Deos veniam, ſtat gratia facti;
Et te ſi qua viam dederit fortuna, Latino
Jungemus regi: juncta eſt mihi fœdere dextra.
Nulla dies pacem hanc Italis nec fœdera rumpet,
Quo res cumque cadent; nec me vis ulla volentem
Avertet ſummâ de re ſtatuiſſe Latini.
Romanos rerum dominos in parte locavi.
Fas erat, idque omnes Divique hominesque canebant:
Igneus eſt ollis vigor & cœleſtis origo.
Peſtis & ira Deûm ſtygiis emiſſa tenebris
Inviſum numen terras, cœlumque levabat:
Hinc fore ductores, omni ditione tenerent;
Auſpiciis hinc progeniem virtute futuram

Egre-

N O T Æ.

198. ***Calviniana Hæreſis in Galliâ extincta.***

INTERPRETATIO.

cos) ſociatos diis: pagina (docta) præfixit nomen tuum, nec tantum æquas magiſtrum *ſcriptis*, ſed etiam voce. Promitto omnia digna magnis tuis incœptis: tantummodo tu pete à Diis favorem; gratia facti tui manebit in animo, & ſociabimus te *Pontifici* Latino, ſi aliqua fortuna modum offerat. Dextra jam à me ſociata eſt fœdere cum illo, nulla dies auferet Italis hanc pacem, neque hæc fœdera quomodocumque res ſuccedant; nec ulla potentia abducet me volentem ſtatuere ſummam rerum Latini *Pontificis*. Conſtitui in parte regni Romanos dominos mundi. Licitum erat, & omnes Dii atque homines monebant illud: ineſt illis vis ignea, & origo cœleſtis. Peſtis & Furia (*hæretica*) adverſùs Deos emiſſa è nocte infernâ, odioſa Dea, liberabat cœlum & terras, hinc impellimus ominibus Deorum, & magno examine (*populorum*) *agnoſcere auſpicia quibus futuri ſunt Romani*, duces qui regant omni auctoritate; hinc inquam prolem futuram virtutibus illuſ-

 trem,

Digitized by Google

Egregiam, & totum quæ viribus occupet orbem,
Auguriis agimur Divûm, atque examine multo.
Agnovere Deum proceres divinaque tela.
Quinque tenent cœlum, toties arſere cometæ:
Sanguinei lugubre rubent præclara tuentes,
Tela Latinorum fato ventura reſident,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis,
Extulit os ſacrum cœlo venerabile lignum.
Fulmen erat toto genitor quæ plurima cœlo
Dejicit in terras; ventis & contigit igni;
Impiaque æternam timuerunt ſæcula noctem:
Terrorem ingeminat, flammiſque ſequacibus iras.
  Vix ea fatus erat, defixique ora tenebant
Magnanimi heroes nati, formidine turpi
Orantes veniam quod rebus reſtat egenis.

Ven-

N O T Æ.

215. *Heroes nati, quia Filiæ Regum Filii, Univerſitatis ſcilicet.*

INTERPRETATIO.

trem, & quæ potentiâ ſubjiciat totum orbem. *Præſules* cognoverunt Deum (*Unigenitum*) & ſagittas divinas. Quinque cometæ (*in Bullis*) effulſerunt, muniuntque cœlum: cruenti rubeſcunt tuentes egregia facta (*Romani Pontificis*). Latinorum tela ventura adverſus fata (*Janſenii*) quieſcunt, ne evolent in ludibrium, ventis (*popularibus*) confuſa. Arbor veneranda (*ſcientiæ*) erigit ſacrum vultum in cœlo. (*Romæ*) erat fulmen inchoatum, ex his quæ (*ſanctus*) pater multa torquet è cœlo: afflavit *vos* aurâ, & tetegit igne (*Vaticano*) & proles *hæreticæ* timuerunt perpetuam noctem: auget timorem & iras, cum igne perſequente.

Vix ea locutus erat: tenebant vultum defixum magnanimi heroes (*Sorbonici*) filii Univerſitatis fœdo metu; poſcentes veniam, quod ſupereſt in rebus anguſtis. Ventum eſt

Ventum ad ſupremum eſt, nec fallunt juſſa ſuperba:
Multaque dura ſuo triſti cum corde putabant
Suppliciter triſtes: miſeris mortalibus almam
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur Orbis.
Jamque oratores aderant ex urbe Latinâ.
Agnoſcunt longè regem; patribuſque vocatis,
Fortia facta patrûm, longævo dicta parenti,
Paſtores magno ad regem clamore trahebant.
Ipſe etiam eximiæ laudis ſuccenſus amore,
Duci intra muros hortatur, & arce locari
Infelix ſimulachrum: argenti pondus & auri
Confuſum eripuit mentem diſcrimine tanto.
Scilicet immemores componi fœdere bellum;
Ingeminant plauſum vultus, ſimulataque verba.
Aſſenſêre omnes: cuncti ſe ſcire fatentur
Quid fortuna ferat populi, ſed dicere muſſant.

Auſpi-

N O T Æ.

219, 220. *Clauditur eis tranſitus ad Batavos, propter eorum doctrinam Italis contrariam.*

INTERPRETATIO.

eſt ad ultimum, nec dura imperia decipiunt illos: meditabantur plurima difficilia cum ſuâ triſti mente, mœſti more ſupplicantium: totus orbis terrarum clauditur miſeris exulibus propter Italiam *matrem beneficiorum*. Et jam Oratores venerant ex Urbe Latini (*Pontificis*): agnoſcunt procul regem, & ſenatoribus convocatis, *præſules* magno clamore trahebant ad regem egregia facinora majorum, dictata in (*Bullâ*) Patris (*Latini*) longævi. Ipſe quoque (*Rex Gallorum*) inflammatus cupiditate pulchræ laudis, ſuadet ut miſera ſpecies (*Bullæ*) admittatur intra muros, & ſtatuatur in arce (*ſacrâ*). Pondus auri & argenti abſtulit turbatam mentem (*præſulibus*) in tanto periculo. Nempe improvidi bellum parari propoſito fœdere; vultus & ficta verba dant plauſum. Conſenſerunt omnes; omnes fatentur ſe cognoſcere quid poſtulet ſors gentis (*Chriſtianæ*), ſed verentur dicere. (*Bonis*) omnibus

Digitized by Google

Auſpiciis manifeſta fides exordia ſumat.
Rex prior hæc, Regique jubet reſponſa Latino
Certa referre viros, gaudens popularibus auris;
Et magnum falſi implevit genitoris amorem.
Ipſe pater templo Divûm, patriaque Latinus
Sede ſedens, inſtans operi, regniſque futuris:
Cœruleum in gremium geminas cui tempore flammas
Læta vomunt, quales fama eſt volitare figuras,
Aut quæ ſopitos deludunt ſomnia ſenſus.
Ille Deæ donis & tanto lætus honore,
Expleri nequit, atque oculos per ſingula volvit:
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet.
Ipſe ſuas artes, ventoſaſque addidit alas,
Dum flammas Jovis, & ſonitus imitatur Olympi,
Demens qui nimbos & non imitabile fulmen
Admoneat volitare cavâ ſub imagine formæ.

Pro-

NOTÆ.

236. Rex Latinus ſe Patrem profitetur omnium Principum Chriſtianorum.

INTERPRETATIO.

nibus (*ſancta*) & clara fides capiat initium. Rex dicit hæc primus, jubetque viros reportare Latino *Pontifici* certum reſponſum, gaudens populi favore, & ſatiavit magnum amorem ficti patris. Altaria fervent thure & redolent flores novos: ipſe (*Pontifex*) Latinus ſedens intra templum, & paternum ſolium; urgens opus, & regna futura: cui caput lætum emittit geminas flammas in ſinum purpureum, ſimiles ſimulachris qualia rumor eſt volare, aut qualia ſomnia decipiunt ſenſus ſopitos. Ille gaudens muneribus Deæ (*Eccleſiæ*) & tanto honore, non poteſt ſatiari, & mittit oculos per ſingulas partes, & lætatur ſpecie rerum quas ignorat. Ipſe Latinus ſibi applicuit artes ſuas, & alas ventoſas; dum imitatur ignes Jovis & tonitrua cœli. Inſanus qui docet nimbos, & tonitru non imitabile, vagari ſub inani ſimulachro figuræ. Proximus

ab

Digitized by Google

Proximus huic, longo ſed proximus intervallo,
Luſtrabat ſtudio recolens per opaca viarum
Inter odoratum lauri nemus, ordine pompas
Regis Romani; ſævique in limine regis,
Rectores Juvenum primi, & delecta Juventus
Conſilium ſummis regni de rebus habebant;
Defenſi tenebris dum fallere fata ſinebant.
Ingentem gemitum tunſis ad ſydera tollunt
Pectoribus, mœſtoque immugit regia luctu.
Namque improviſo vibratus ad æthera fulgor
Cum ſonitu venit, & ruere omnia viſa repente,
Monſtrum horrendum ingens, & forma tricorporis umbræ,
Ecce furens animis, magnâ ſe mole ferebat:
Gens illi triplex, magnâ comitante catervâ.
Significatque manu, & magno ſimul incipit ore:

Sol-

N O T Æ.

249. *Fabroni purpuratus, Bullæ præcipuus Fabricator.*
261 *Gens triplex, Senatus Populuſque & Clerus.*

INTERPRETATIO.

ab eo, ſed poſt longum intervallum proximus, conſiderabat ſtudioſè, & per ordinem in tenebroſis viis odoriferæ Sylvæ lauri, triumphos *Pontificis* Romani; & in veſtibulo ejuſdem regis ſeveri, moderatores Juvenum optimates, & Juvenes lecti habebant deliberationem de maximis negotiis regni; tuti tenebris, quamdiu fata eis permittebant fallere. Emittunt ad aſtra magnum gemitum, pectoribus percuſſis, & inſonuit aula triſti fletu. Quippe fulgur intortum, è cœlo inopinatè erupit cum ſtrepitu; & ſtatim omnia viſa ſunt tremere. Monſtrum horribile, ingens, ecce furioſum animo, efferebat ſe vaſtâ mole: habet tribus tres; magnâ turbâ comitante, ſignum facit manu, & ſimul altâ voce, incipit loqui; impellit & ſuadet inclamans

Digitized by Google

Sollicitat, ſuadet triviis ululata per urbes,
Cogere concilium, noſtri medicina furoris.
Ergo concilium totam delubra per urbem
Lætitiâ, ludiſque viæ, plauſuque fremebant.
Suſpiciunt, iterum atque iterum fragor intonat ingens.
Deficit ingenti luctu Rex ipſe Latinus,
Ingemit, & duplices tendens ad ſydera palmas,
Hæc ſecum: tanto'n placuit concurrere motu,
Jupiter, æternâ gentes in pace futuras?
Quæ contra vetitum diſcordia fluctuat æſtu,
Exitium magnum Romanis arcibus olim?
Tu regere Imperio populos, Romane, memento:
Aſpice qui coeant dictis Senioris amici.
Da facilem curſum atque audacibus annue cœptis,
Chara Deûm ſoboles, faciem circumdata nimbo.
Ad te confugio, & ſupplex tua numina poſco
Nota tibi, & noſtro doluiſti ſæpe dolore;
O

INTERPRETATIO.

mans per urbes, in triviis, Concilium cogere, quod ſit remedium, noſtræ iracundiæ (*in Controverſiis*). Igitur templa per totam urbem reſonabant viæ gaudio, & ludis ac plauſu, (*appellando ad*) Concilium. Aſpiciunt ſurſum (*Optimates Latini*) & rurſus magnus fragor tonat. Ipſe rex Latinus concidit ex magnitudine doloris: ingemit, & attollens ad aſtra ambas manus, hæc ſecum (*meditatur*): ô Jupiter, an placuit tibi, populos manſuros in perpetuo fœdere, certare tanto tumultu? quæ diſſentio contra prohibitionem agitatur variis motibus? pernicies magna olim futura Romanis urbibus. Tu, Romane, memineris gubernare gentes cum auctoritate: conſidera quæ gentes conveniant verbis amici ſenis (*Pontificis*). O dilecta proles Deorum involuta nube obſcurâ circa corpus (*politicum*) præbe iter facile, fave conſiliis audacibus: confugio ad te, & ſupplex imploro tuam poteſtatem tibi notam; & ſæpe condoluiſti mihi dolenti:
vere

Digitized by Google

O decus, ô famæ meritò pars maxima noſtræ.
Te ſine nil altum mens inchoat, en age ſegnes
Rumpe moras, adhibe ſocios, & fœdera junge.
Hic labor extremus ſi qua fata aſpera rumpas:
Quò res cumque cadent, unum & commune periclum.
Eſt hic eſt animus lucis contemptor, & iſtum
Qui vitâ bene credat emi quo tendis honorem.
Tuque, ô Tybri, tuque, ô genitor, cum flumine ſancto,
(Interpres Divûm qui res hominumque Deûmque
Æternis regis imperiis, & fulmine terres)
Adſis ô tandem, & propius tua numina firmes.
Tu mihi quodcumque hoc regni, tu ſceptra Jovemque
Concilias; tu das epulis accumbere Divûm,
Unde homines nati cœli quibus annuis arcem,

Quam

N O T Æ.

294. *Homines nati in Italiâ inter menſas Deorum, arcem Eccleſiæ occupant.*

INTERPRETATIO.

verè ornamentum, & pars maxima famæ meæ, animus meus nil altum incipit ſine te; eja age, amputa pigras moras, adjunge ſocios, & alliga tibi per fœdus. Hic eſt extremus labor, ſi aliquo modo viceris dura fata (*Janſenii*). Quocumque res abeant unum & idem periculum *tibi & mihi.* Eſt ſane, eſt animus hic meus negligens vitæ, & qui putet iſtam gloriam, ad quam aſpiras bene comparari diſpendio vitæ. Et tu, ô Tybri pater, cum tuo ſacro fluvio: tu qui ſempiternâ potentiâ moderaris res hominum ac Deorum, ut nuntius Divinus, & fulmine (*Vaticano*) terribilis es: ſuccurre tandem, & præſenti auxilio confirma tuam divinam poteſtatem. Tu mihi demereris Jovem, & imperium, & eam qualemcumque auctoritatem; tu facis ut accumbam menſis Deorum: unde orti ſunt homines, quibus promittis regiam cœli, pro

quâ

Quam propter tantos potui perferre labores,
Accipio agnoſcoque libens. Nunc arte magiſtrâ
Mœnia Diis Italis, ſolido de marmore templa
Inſtituam, feſtoſque dies, devinctus amore.
Hic amor, hæc patria eſt cœli convexa tueri.
Viſa dehinc cœlo facies ſecreta Sibyllæ,
Suſpirans imoque trahens à pectore vocem:
Ardentes dare viſa faces pulcherrima Roma,
Juſtitiâque dedit gentes frænare ſuperbas.
Jura, magiſtratus, (credo mea vulnera reſtant)
Succedunt, animaſque in aperta pericula mittunt:
Aut oculis capti petierunt æthera pennis.
Cogere Concilium! Dii talem avertite caſum,
Et placidi ſervate pios, urbemque Latini.
Hinc mihi prima mali labes; vix urbe tuemur
Spes Italas; fors & virtus miſcentur in unum.
Peſtis & ira Deûm ſtygiis ſeſe extulit undis,

Teu-

INTERPRETATIO.

quâ potui tolerare tot labores; quam libenter accipio, & agnoſco: nunc arte præcipuâ ſtatuam templa Deis Italiæ muros (pro eis), & Dies feſtos fundabo captus amore (eorum). Hic eſt amor, hæc Patria, aſpicere concava cœli. Deinde ſpecies arcana Sibyllæ è cœlo viſa eſt ſuſpirans, & educens vocem ex intimo pectore. Pulcherrima Roma viſa eſt præbere mihi faces accenſas, ut coerceam (*Jure Canonico*) populos feroces. Tribunalia, & Magiſtratus (*Gallicani*), ſupereſt ut ego rurſus vulnerer, redeunt ad prælia, & exponunt animas manifeſtis periculis; aut privati oculis petierunt cœlum *ſcriptis ſuis*. Ut cogam Concilium! O Dii impedite effectum harum minarum: Dii avertite tale infortunium, & placati protegite pios; & urbem Latini (*Pontificis*). Hæc mihi fuit prima origo calamitatis: vix defendimus urbe (Româ) ſpem Italiæ, ſors (*Janſenii*) & fortitudo (*Molinæ*) confunduntur ſimul. Peſtis & Furor (*hæreticus*) in Deos extulit

lit

Digitized by Google

Teutonico ritu, Romanas invidet arces:
Tum quoque fas nobis virtutem extendere factis.
Sic fatur lachrymans, caſu concuſſus acerbo,
Dum ſtupet, obtutuque hæret defixus in uno;
Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti:
Tantus amor terræ! ſolio ſe tollit ab alto,
Ore vomens ignes commiſtis igne tenebris,
Triſtis, cœlicolæ medium quem ad limina ducunt.

INTERPRETATIO.

lit ſe ex undis inferorum; Germanico more invidet Romanam *potentiam.* Tunc etiam licitum eſt nobis, æternare virtutem factis *noſtris.* Sic loquitur plorans, perculſus triſti calamitate: dum ſtupet, & ſtat defixus in hoc ſolo aſpectu; ſeu ad faciendam fraudem, ceu ad mortem certo ſubeundam. Tantus eſt amor terrenæ (poteſtatis)! Ille qui eructat ore ignes, mixtis tenebris cum flammâ, erigit ſe è ſolio ſublimi mœrens quem *Theologi* deducunt domum, cingentes eum medium.

SIBYLLA CAPITOLINA, P. VIRGILII MARONIS POEMATION.

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

PATRES Aulici Latino regi obſecundantes, & Bacchi numine afflati, poſt longas comeſſationes, Vatem Fatidicum damnant, teliſque divinis obruunt coram exultante pietatis Imagine. Purpuratus Aulicus in medio Procerum concionans, in fœdere regis Latini confirmat eos, Liligeri & Latini regûm favorem & beneficia promittens. Corvorum Sibyllinorum princeps Purpurato reſpondens eum laudibus extollit, & ſacræ Imaginis hoſtes acriter increpat. Sacra facit, dumque populum dictis mulcet, pietatis Simulachrum ſacratam arcem ingreditur. Latinus Rex cum Cœlicolis ſuis ſucceſſu gaudet. Exoriuntur plurimæ Controverſiæ, inter Simulachri adoratores, & abnuentes genu flectere. Purpuratus Aulicus duces Corvorum ad certamen hortatur, odiumque in Fatidici aſſeclas incendit. Pugnant acriter Latini pro Sibyllâ. Inermes longævi & trepidæ matres vota faciunt.

CRE-

Digitized by Google

CREDUNT ſe vidiſſe Jovem cum gente Latinâ,
Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.
Vana ſuperſtitio, lethi diſcrimina parva!
Tecta vident quæ nunc fluvio Tyberinus amœno
Compoſuit, legeſque dedit telluris amore:
Multa Deos orans, tenebras, & inertia furta.
Indulgent vino, Divinæ mentis & hauſtus
Æthereos dixêre; Deum namque ire per omnes
Romanos rerum dominos: crudele canebant
Artificis ſcelus, & taciti ventura videbant;
Laxabant curas, & corda oblita laborum.
At primas læta ante acies exultat Imago
Multa movens, magnoque virûm ſe murmure tollit:
Illa ſubit mediæque minans illabitur urbi,
Externo commiſſa duci, mirabile monſtrum.

Tum

N O T Æ.

15. *Externo, Italo ſcilicet.*

INTERPRETATIO.

PRÆSULES, qui ſolent ſedere in perpetuis conviviis, putant ſe vidiſſe Jovem cum Latinis. Superſtitio falſa, & quæ parum diſterminat à morte! Vident palatia quæ (*Pontifex*) Tyberinus ſtruxit ſuprà flumen amœnum, & leges impoſuit amore terreſtris Imperii; multa petens à Diis, noctem, & ignavam fraudem. (*Patres*) vacant compotationi: dixerunt (*vinum*) partem eſſe divinæ mentis, & cœleſtes ſpiritus ineſſe (*vino*) quippe Deum fuſum eſſe per omnes Romanos dominos mundi. Prædicebant crudele crimen artificioſi (*Bulliſici*) & clam prævidebant futura: ſolvebant curas, & animos immemores laborum. At (*Bulla Pietatis*) imago læta, geſtit ante prima agmina; meditans plurima, & attollit ſe cum magno fremitu hominum: progreditur, & minans inducitur in mediam urbem: credita duci externo, mirandum pro-

D digiuam

Tum fortes late ramos & brachia tendens
Huc illuc media ipſa ingentem ſuſtinet umbram,
Mille trahens varios adverſo ſole colores.
Haud mora continuo matris præcepta faceſſit,
Præcipitatque moras omnes, male numen amicum,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.
Jam magis atque magis ſuperis averſa voluntas
Pectoribus inhians, umbris jam dividet orbem.
Conſurgunt menſis, ſomno vinoque ſoluti,
Immemores ſocii, ſubito turbante tumultu:
Quæ vigilanda viris proceres, divinaque tela,
Unius in miſeri exitium converſa tulêre.
Ipſi lætitiâ voces ad ſydera jactant,
Purpurei criſtis Juvenes auroque coruſci:
Scilicet & ducis exemplum, eventumque ſecuti.

For-

NOTÆ.

18. *Colores, Senſus varii.*
24. *Vide in* Diction. Critico, *Artic.* BERENGER, *Notâ* (A).
29. *Præſules juniores.*

INTERPRETATIO.

digium. Tum latè porrigens ramos robuſtos (*Pelagianæ doctrinæ*) & brachia (*unum ſuprà centum*) huc illuc, ipſa media alit magnam obſcuritatem; ducens expoſito ſole (*Gallico*) mille colores, (*& ſenſus*) varios: Divinitas (*Unigeniti*) inimica, debilitat oculos mortales; ſine morâ exequitur mandata matris (*Sibyllæ*) læta parari bellum, propoſito (*pacis*) fœdere: & magis ac magis voluntas infeſta cœleſtibus, intenta cordis hominum dividet mundum tenebris (*ignorantiæ*). *Præſules* ſocii imprudentes ſurgunt relictis menſis; obruti ſomno & vino: repentino ſtrepitu (*excitati*); verteruntque in perniciem unius miſeri (*Queſnelii*) ſagittas divinas providendas (*prudentibus*) viris. Juvenes ipſi purpurati, fulgentes Criſtis, & (*Cruce*) aureâ, emittunt clamores ad aſtra præ gaudio; ſcilicet imitati exemplum, & eventum ducis ſui.

Pro-

Digitized by Google

Formoſi pecoris cuſtos formoſior ipſe
Vittis & ſacrâ redimitus tempora lauro,
Cœruleus Proteus fatorum arcana reliquit,
Deſidiâ latamque trahens inglorius alvum;
Os humeroſque Deo ſimilis, quem vidimus ipſi
Turbaque miratur matrum, & proſpectat euntem.
Hunc decus egregium formæ movet, atque juventæ,
Tutari Italiam: prætexit numine culpam.
Dona ferens aderat, pariter doniſque movetur
Juſſa aliena pati & dominos de gente Latinos;
Et jam juſſa facit mentem formidine preſſus:
Sed neque currentem ſe nec cognoſcit euntem.
Obſtupuit variâ confuſus imagine rerum;
Agnovit prolem ambiguam regnare per urbes:
Atque hæc ipſe ſuo triſti cum corde volutat.

Spem-

N O T Æ.

31. *Imago Præſulum... Aulicorum, ſub perſona C. R. E. A.*
44. *Proles ambigua, Libr. I. Biformis nominata; dubium enim utrum Monachi aut Clerici tantùm ſint Corvi Sibyllini.*

INTERPRETATIO.

Proteus purpuratus, magiſter pulchri pecoris, ipſe pulchrior; coronatus circa caput tæniis & lauro dicatâ (*Romæ*) deſeruit ſecretam fatorum (*doctrinam*) ignaviâ, & trahens magnum alvum ſine honore. Similis Deo, ſecundum vultum & humeros, quem ipſi conſpeximus, & turba matrum admiratur, & aſpicit incedentem. Hunc excitat eximia ſpecies pulchritudinis, & juventutis, tueri Italiam: velat crimen (*honeſtâ*) appellatione. Ille adſtabat portans munera, & æqualiter capitur muneribus, ad ferenda imperia exterorum, & dominos de Natione Latinâ, & jam mandata exequitur, oppreſſus formidine. Sed neque cognoſcit ſe currentem, neque euntem: obſtupuit turbatus variâ ſpecie rerum. Animadvertit progeniem ancipitem (*Corvorum*) imperare per urbes; atque hæc meditatur cum ſuo animo mœſto: interque ſpem ac ti-

 morem-

Spemque metumque inter cœlum ſubtexere fumo,
(Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas
Mutabat verſans) patribus dat jura vocatis,
Invitat pretiis animos tot volvere caſus,
Infelix Vates, & ficto pectore fatur.
Audite, ô Proceres, ait, & ſpes diſcite veſtras,
O ſocii; neque enim voluit rex magnus Olympi,
Dum ſtabat regno incolumis, regnumque vigebat
Conſiliis, & nos aliquod nomenque decuſque
Talibus auſpiciis exſortem ducere honorem.
Quidquid erit ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.
Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.
Quid facerem? neque ſervitio me exire licebat,
Nec tam præſentes alibi cognoſcere Divos.
Namque erit ille mihi ſemper Deus, otia fecit;
Invitat qui forte velint & præmia ponit.

Ante

N O T Æ.

60. *Latinus, aut Liliger, uterlibet.*

INTERPRETATIO.

morem involvendi cœlum fumo, agitabat animo magnas curas. Nunc huc, nunc illuc deliberans, *præſulibus* convocatis diſtribuit jura, infauſtus *præſul* & mendaci animo loquitur. O Primates audite, ait, & intelligite ſpes veſtras, ô ſocii; nam noluit magnus rex cœli dum (*cultus*) ſalvus ſtetit in regno, & regnum floruit Conſiliis, & nos quoque aliquid famæ & honoris obtinere; & habere talibus auſpiciis extraordinarias (*dignitates*) Quidquid accidet, omnis fortuna vincenda eſt tolerando. Perſeverate, & reſervate vos ipſos ad res proſperas. Quid feciſſem? nec poteram aliter abire è ſervitute; nec Deos experiri tam propitios. Nam habeo ſemper illum (*Regem Gallum*) Dei loco. Nobis dedit otium: invitat qui forte velint (*otia cum dignitate*) & proponit præmia. Priùs igi-

Digitized by Google

Ante leves ergo paſcentur in æthere cervi,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces,
Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.
Hîc victor ſuperans animis comitabor ovantes,
Magnanimoſque duces, atque altæ mœnia Romæ.
Externos optate duces adjungere rebus:
Tybri Pater fatis huc te poſcentibus affers;
O decus Italiæ, atque Italûm fortiſſime ductor!
Accipio, agnoſcoque Deos, ſanctumque Senatum:
Congredior, fer ſacra Pater, & concipe fœdus;
Do quod vis, & me victuſque volenſque remitto.
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus,
Aurea fulcra toris lucent genialibus altis,
Regifico luxu: manibus date Lilia plenis
Quæ vobis quæ digna viri pro laudibus illis
Præmia poſſe rear ſolvi: ſequar omina tanta.
Omnes Cœlicolas video concurrere fatis;

Cede-

N O T Æ.

75. *Ut ſuprà*, *Libr. I*, *Verſ.* 250, *Lilia*, des Louïs d'or & d'argent *Gallicè*, *vel ô Liliger da nobis munera*, &c.

INTERPRETATIO.

igitur agiles cervi paſcent in aere, & maria deſerent in littore piſces defectos aquâ, quàm forma illius excidat mihi ex animo. Hoc in loco victor elatus animo, & ſuperbiens comitabor triumphantes, & duces generoſos; & palatia magnificæ Romæ. Eligite Duces exteros quos admittatis in tantis rebus. O, Pater Tyberine, confers te huc fatis vocantibus; ô gloria Italiæ, & Dux generoſiſſime Italorum: admitto omen, & agnoſco Deos, & ſacrum *Collegium* (*purpuratorum*) ingredior (*Eccleſiam*); offer (*Bullas*) *ſanctas*, ô Pater (*Latine*), & fac fœdus: concedo quod petis, ac me ſubmitto, & ſponte, & ſuperatus. Terra æquiſſima producit victum parabilem; fulcra aurea ſplendent in lectis altis, cum luxu regio. O Lilia (*Gallica*) date plenis manibus mercedem quam dignam putem poſſe retribui vobis, ô viri, pro talibus cœptis: parebo tantis monitis. Video omnes *Theologos* cum fatis

 (*Jan-*

Digitized by Google

Cedere res Latio: latebras jam quærit Imago.
Illa levem fugiens raptim ſecat æthere pennis;
Extulerat lucem referens opera atque labores:
Stella facem ducens nubi ſe immiſcuit atræ.
Et nunc nequicquam fallis Dea, ſed quis Olympo
Demiſſam tantos voluit te ferre labores?
Salve magna parens frugûm, caſuſque levamen;
Salve ſancta Parens, Romanæ ſtirpis origo:
Tu Dea tu præſens noſtro ſuccurre labori.
Fortia facta Patrum multos dominata per annos,
Accepit Roma, & patrium ſervavit honorem.
Non hæc humanis opibus, non arte magiſtrâ
Edidit æthereos humero qui ſuſtinet orbes:
Major agit Deus atque opera ad majora remittit.

Felix

N O T Æ.

82. ***Stella Magorum, ducens ad Unigenitum, occultat ſe, non vult intelligi.***

91. ***Summ. Pontifex, novus Atlas.***

INTERPRETATIO.

(*Janſenii*) certare, & res Latii procedere. Imago (*Bullæ*) jam quærit latibula. Fugiens celeriter (*illa*) findit tenuem aerem. Attulerat lumen reducens opera & labores (*Pelagii*), ſtella protrahens facem confudit ſe cum nigrâ nube. Et jam fruſtra decipis nos, ô Dea (*Bulla*); ſed quis juſſit te delapſam è cœlo, tantos nobis afferre labores? Salve (*Curia Romana*) magna parens frugum, ſolatiumque infortunii; ſalve ſancta mater gentis Romanæ caput; tu Dea, tu propitia fave noſtris conatibus. Roma accepit (*doctrinam*) *Sanctorum Patrum* de operibus; & ſervavit honorem debitum (*Sancto*) Patri. Ille qui portat humeris orbes cœleſtes non genuit (*Bullam*) hanc humanis viribus neque induſtriâ magiſtrorum Deus potentior agit; & mittit illum ad majores labores. Illa famoſa

Ro-

Digitized by Google

Felix prole virûm, auſpiciis illa inclyta Roma
Sydereo flagrans clypeo, nunc maxima rerum,
Imperium terris, animos æquabit Olympo.
Ipſa caput populis, poſuitque immania templa:
Credo equidem nec vana fides ſic numina poſcunt,
Atque hæc ut certis poſſimus diſcere ſignis,
Ipſe Pater ſtatuit; ſervans de culmine ſummo,
Romanas acies, & non innoxia verba.
Ipſe manu multo ſuſpenſum numine ducit,
Tum Pater æterno fatur devinctus amore:
Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno,
Increpuit curis acuens mortalia corda.
Ergo agite, & Divûm ducunt quò juſſa ſequamur:
Quò Phœbus vocet errantes, rex ipſe Latinus
Accipiet reduces, & habent redimicula mitræ,
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem,
Quod votis optaſtis adeſt, ſperavimus iſta.

Com-

INTERPRETATIO.

Roma gaudens prole virorum (*illuſtrium*), ductu (*Pontificis*) reſplendens clypeo cœleſti, nunc potentiſſima orbis; æquabit dominationem ſuam terris, & animos cœlo. Ipſa caput eſt Nationum (*Chriſtianarum*) & fundavit eis vaſta templa, certe credo, nec temerè credo, voluntas Deorum id exigit: & ipſe *Pontifex* definivit ut poſſimus hæc cognoſcere certis indiciis; obſervans ex alto cacumine (*Vaticani*) Romanos exercitus, & verba pernicioſa (*excommunicationis*) ipſe manu ducit trepidantes, ob magnam reverentiam Dei. Tum etiam Pater (*Latinus*) loquitur captus amore perpetuo: nec paſſus ſua regna languere triſti otio, increpans, excitavit curis noſtros animos. Itaque agite, & eamus quà mandata Deorum nos ducunt. Quò Phœbus (*Gallicus*) revocat errorem ſecutos, ipſe *Pontifex* Latinus excipiet nos redeuntes (*in Gremium Eccleſiæ*), & mitræ habent ligamina, aurea fibula coercet veſtem purpuream. Quod cupiviſtis votis promptum eſt; ſperavimus iſta (*beneficia*). Gubernemus

igi-

Communem hunc ergo populum, paribuſque regamus
Auſpiciis, Juvenum primi, pauperque Senatus,
Quique ſacerdotes perfecto munere Divæ,
Qui dapibus menſas onerent (ſolemnia nobis
Annua quæ differre nefas convivia tectis),
Cuncti adſint, meritæque expectent præmia palmæ.
Ore favete omnes: ingenti mole chimæram
Relligione patrum, baccis minioque rubentem;
Quique pii Vates, argenti aurique talenta,
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Cœlicolæ magni, quianam ſententia vobis
Verſa retro, Dii ne hunc ardorem mentibus addunt;
Quæ contra vetitum diſcordia fœdere pacto?
Numina læva ſinunt calamos armare veneno:
Tum magis increſcunt animis diſcordibus iræ.
Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella;
Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit;

Neu

N O T Æ.

111. *Monachi mendici, Bullæ fautores plerumque.*

I N T E R P R E T A T I O.

igitur hanc gentem communem, & æquali poteſtate, præcipui Juvenum (*Præſulum*) & Senatus inops (*Monachorum*) & ſacerdotes qui ſacris menſis imponant cibos, ad perficiendas ſolemnes epulas, ſub medio tecto, annuas quæ non licet differre. Hi omnes adſint, & expectent præmia merita victoriæ. Favete omnes linguis; nullus ex hoc numero non recedet remuneratus à me, chimærâ beneficâ, magnâ mole, veneratione majorum rubicunda minio, & baccis (*plumbeis ornatâ*), & qui ſacerdotes puri, ponderibus argenti & auri. Magni *Theologi* quare conſilium vobis mutatum eſt in contrarium; an Dii immittunt animis hunc ardorem? Quæ diſſentio eſt contra prohibitionem, & lege fœderis conſtitutâ? Dii adverſi permittunt vobis armare *ſcripta* veneno: tum furor magis accenditur in animis diſcordibus. O pueri, ne aſſueſcite animum bellis: hoc tempus non petit ſibi hæc ſpectacula, neve

con-

Digitized by Google

Neu Patriæ validas in viſcera vertite vires.
Præſtantes virtute legit, Populoſque Latinos
Roma colit: patriumque aperitur vertice ſydus.
Concilia incertum eſt quæ ſint habitura Deorum.
Tantum effatus, ad hæc Vates Phœbique ſacerdos
Ardentes oculos intorſit lumine glauco.
Ille ſedens victor flammas deſpectat ovantes,
Ultro animos tollit dictis, atque aggerat iras;
Et graviter frendens ſævo ſic pectore fatur.
O Socii, quà prima inquit fortuna ſalutis
Monſtrat iter, quàque oſtendit ſe dextra ſequamur:
Urbem quam dicunt Romam, ſanctum mihi numen.
Auctor ego audendi: poſſum me opponere monſtro.
Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi,

Nec

N O T Æ.

129. *Vide ſuprà Verſ.* 82.
131. *Vide Libr. I. Verſ.* 120.

INTERPRETATIO.

convertite in viſcera Patriæ (*Religionis*) ejus robur. Roma tutatur gentem Latinam, & eligit inſigniores virtute, paterna ſtella (*Pontificis*) apparet in ſuo capite, incertum eſt quæ definitura ſint Deorum concilia.

Hoc ſolum loquutus eſt; poſtea Vates, & Sacerdos Apollinis (*Gallici*) defixit oculos cœruleâ luce coruſcantes. Ille ſedens voti compos, aſpicit ignes (*diſcordiæ*) exultantes: ultro excitat verbis animos, & accumulat iras; & minaciter collidens dentes, ſic loquitur duro animo: ô Socii eamus quà fortuna oſtendit viam ſalutis, & quà ſe præbet propitiam, urbem (*ſcilicet*) quæ vocatur Roma, divinitas mihi veneranda. Ego auctor ut id audeamus; poſſum me opponere monſtro (*hæreſeos*); præſenſi, & mecum prius mente confeci cuncta. Nec meum

con-

Nec mea jam mutata loco ſententia cedit:
Tantaque ſe facies aperit, componere curas
Æthereas: creſcent illæ, creſcetis amores.
I, ſequere Italiam ſi qua eſt fiducia forti:
Nec tibi tam prudens quiſquam perſuadeat auctor
Deberi cœlo, fatiſque ad ſydera tolli.
Numina nulla premunt, ferre omnes omnia poſſunt;
Pro ſe cumque viri ſummâ nituntur opum vi;
Dextra mihi Deus, & fato prudentia major.
Macte novâ virtute, puer, ſic itur ad aſtra.
Perge modo, & quà te ducit via dirige greſſum,
Sacra ferens: non ipſe ſuo premit ore Latinus
Monſtra Deûm; ſociûm virtus coit omnis in unum:
Inceditque animum fortuna indigna Latini
Sæpius occurrens, capitiſque injuria chari.
Promiſi ultorem, & verbis odia aſpera movi:
Extinxiſſe nefas tamen, & ſumpſiſſe merentis

Lau-

INTERPRETATIO.

conſilium jam mutatum movetur loco ſuo. Vultus (*Unigeniti*) exhibet ſe tam magnum ad conſtituenda negocia cœleſtia: illa creſcent, creſcetis ô amores. I, pete Italiam ſi habes aliquam in te confidentiam, nec ullus tam prudens tibi auctor ſit (*hujus opinionis*) (*homines*) deſtinari Divûm cœlo, & fatis evehi ad aſtra. Nulli Dii urgent nos; omnes (*homines*) poſſunt producere omnia. Singuli pro ſe contendunt toto impetu virium; Dextera mihi Deus eſt, & prudentia potentior eſt fato. Creſce, ô puer, tali virtute: ſic tenditur ad ſydera. Perge tantummodo, & dirige paſſus quà via te ducit, portans ſacras res. Latinus (*Pontifex*) ipſe non continet in ore ſuo, monſtra (*hæreſeos*) vis tota ſociorum (*Corvorum*) colligitur in unum, & injuſta fortuna Latini ſæpe viſa, & injuria in caput charum (*Unigeniti*) inflammant animum meum. Promiſi me fore ultorem, & querelis concitavi acerbum odium (*Janſenii aſſeclarum*). Laudabor tamen

extir-

Laudabor pœnas, animumque expleſſe juvabit.
Fas odiſſe viros, gremio excepiſſe pigebit,
Fas odiſſe viros, atque omnia ferre ſub auras,
Criminibus terrere novis: timor anxius urget,
Hoſtis adeſt, teneor Patriæ nec legibus ullis.
Hi bellum aſſidue ducunt cum gente Latinâ.
Jamque humiles, jamque elati, ſublime videntur
Aera per vacuum ferri: nova condere fata,
Vertere juſſa poteſt Italûm bacchata per urbes,
Jam nova progenies: nutu tremefecit Olympum.
Ingentem clypeum informant unum omnia contra
Tela Latinorum: quæ ritè incœpta paravi,
Perficere eſt animus, finemque imponere curis.
Effigiem duco, præſcripſit pagina nomen
Infandum, quæ nunc dubiis committitur auris.

Frons

N O T Æ.

168. *Clypeus, Scripta plurima pro Gallicana Eccleſia Libertatibus.*

INTERPRETATIO.

extirpaſſe ſceleratam (*hæreſim*) & pœnis affeciſſe ream; & dulce erit expleviſſe deſiderium ardentiſſimæ ultionis. Liceat odiſſe (*hæreticos*) homines, & exponere cuncta in lucem; terrere eos novis criminationibus: metus anxius habet me ſollicitum; hoſtis inſtat, neque vero jam obſtrictus ſum ullis legibus Patriæ. Hi ſemper bellum gerunt cum Populo Latino; & jam demiſſi & jam alte ſublati, videntur ire per aerem vacuum, & attolli in ventos: jam nova illa proles poteſt ſtatuere nova fata; mutare leges. Sæviens in urbibus Italorum motu capitis commovit univerſum cœlum. (*Janſenii aſſeclæ*) componunt magnum clypeum ſufficientem ſolum adverſus cuncta arma Latinorum: Mens eſt mihi abſolvere quæ inchoata deſtinavi, & ponere terminum miſeriis. Fero imaginem (*Bullæ*) pagina ſibi præſcripſit nomen infandum, quæ jam creditur dubiis ventis. Vultus exhibet hominem, &

fla-

Frons hominem præfert, & odoriferam panaceam;
Omnis quam chorus & ſocii comitentur ovantes.
Ad delubra venit, numero Deus impare gaudet;
Filius huic contra torquet, qui ſydera mundi,
Infernas reſeret ſedes, & regna recludat
Pallida Diis inviſa, ſuperque immane barathrum
Cernatur; trepident lethi diſcrimine parvo.
Non tamen ulla magis præſens medicina furoris,
Quàm ſi quis ferro decus imperiumque Latini
Suſcitat, irarumque omnes effundit habenas.
Aggredere ô magnos aderit jam tempus honores,
Hac celebrata tenus ſancto certamina patri.
Falle dolo, pallam ſignis auroque rigentem,
O formoſe puer, monumentum & pignus amoris
Hîc victor ſuperans longævi hoc munus habebis.
Quæ tibi polliceor reduci, rebuſque ſecundis,

Tan-

N O T Æ.

175. *Numerus impar Propoſitionum Janſenii & Queſnelii, V, & CI.*

INTERPRETATIO.

flagrantes ſuccos Panaceæ (*cæleſtis*) quam totus chorus, & ſocii læti comitentur, & clamoribus invocent. (*Bulla*) venit in templa: numerus (*propoſitionum*) impar placet Deo. Filius (*Dei*) qui volvit aſtra mundi, ex adverſo aperiat domos infernas; aperiat regna pallida, inaſpecta à Diis, & immanis vorago deſuper aſpiciatur: tremant (*hæretici*) parum diſtantes à morte. Nullum tamen eſt magis opportunum remedium furoris (*hæretici*) quàm ſi quis erigit ferro regnum & gloriam (*Pontificis*) Latini, & immittit omnes habenas furoris. Accede ad magnos magiſtratus Eccleſiæ; mox veniet tempus accedendi, pugnaſque hactenus editas pro Sancto Patre. Simula per fraudem: ô formoſe puer, victor elatus habebis hoc munus ipſius ſenis (*Pontificis*) pignus & monumentum ſui amoris: pallam ſcilicet intertextam figuris aureis

quæ

Tantane tam patiens, nullo certamine tolli
Dona ſines; ubi nunc nobis Deus ille magiſter?
Verum age quandoquidem fatis urgetur acerbis,
Tum Pater omnipotens it ſciſſâ veſte Latinus:
Hæc cape & ultricem pharetrâ deprome ſagittam;
Hac quicumque ſacrum violarit vulnere corpus,
Contemptorque Deûm pariter det ſanguine pœnas.
Nam quid diſſimulo aut quæ me ad majora reſervo?
Italiam petiere, luant peccata nefandi
Quos fugi; ſua fata manent majore ſub hoſte:
Otia qui rumpet patriæ, reſideſque movebit
Romanos rerum dominos: juſtiſſimus unus
Agnovit ſonitum, & Divæ promiſſa parentis;
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum

Au-

N O T Æ.

194. *Sacrum corpus, ſacrum robur, Libr. I, idem ſonant, Bullam ſcilicet.*

200. *Juſtiſſimus, vel potiùs Chriſtianiſſimus.*

201. *Diva Parens, Sibylla Capitolina.*

INTERPRETATIO.

quæ promitto tibi redeunti, & poſt rem feliciter geſtam, an permittes tam patiens tanta præmia auferri tibi ſine pugnâ; ubi nunc eſt Deus ille magiſter noſter (*Pelagius*)? Age vero, ſiquidem *ſummus* pater Latinus premitur fatis crudelibus, inceditque laceratâ veſte; accipe (*hanc Bullam*) & extrahe è pharetrâ vindicem ſagittam. Quiſquis læſerit vulnere ſacratum corpus (*Unigeniti*) & contemptor Deorum, ſimul hac *ſagittâ* ſolvat pœnas ſanguine. Quid enim diſſimulo, aut quæ graviora expecto? Pugnaverunt adverſus Italiam: expendant pœnas delicti ſui, funeſti (*hæretici*) quos evitavi. Sua funera (*doctrinæ*) fatorum, deſtinata ſunt illis ſub hoſte nobiliore, qui turbabit pacem patriæ, & excitabit ad bella Romanos Dominos mundi, unus *Chriſtianiſſimus* cognovit ſonum & promiſſa Deæ matris (*Eccleſiæ*). Vehitur curru à quatuor equis

tracto,

Digitized by Google

Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt.
Ipſe ſuas artes & magna incœpta Latinus
Deſerit, & triſti turbatus tempore differt:
Oblitus decoriſque ſui, ſociûmque ſalutis
It lachrymans, guttiſque humectat grandibus ora.
Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat, & meliora Deos ſedet omnia poſcens.
Te vero, venerande puer, jam pectore toto
Accipio, & comitem caſus complector in omnes.
Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito
Quàm tua te fortuna ſinet cœleſtibus armis.
Fit via vi, in te omnis domus inclinata recumbit.
Tendimus in Latium: ſed nunc eſt omnia quando
Iſte animus ſuprà, mecum partire laborem.
Incipe ſollicitos Galli curare triumphos.
Hic pietatis honos, ſic nos in ſceptra reponis;
Et bene apud memores veteris ſtat gratia facti.

Non

INTERPRETATIO.

tracto, cui duodecim radii aurati circumeunt caput rutilum. Ipſe Latinus abrumpit artes ſuas, & magna exorſa; & turbatus luctuoſo tempore, differt ea in aliud immemor dignitatis ſuæ & ſociorum conſervationis, incedit plorans, & rigat caput longis guttis. Quamdiu Paſtores (*animarum*) recuſant admovere vulneribus (*Eccleſiæ*) manum medicam, & otiantur petentes à Diis ſucceſſum meliorem. Te autem, ô venerande juvenis, jam excipio te toto ſinu, & adjungo ſocium in omnes eventus. Tu noli frangi calamitatibus; ſed contra reſiſte audacior quam tua fortuna te permittet eſſe, armis divinis. Fit via per vim: familia (*Corvorum*) jam labefactata innititur tibi; tendimus (*dominari*) in Latio: ſed jam quandoquidem animus ille tuus eſt ſupra omnia *pericula*, divide meum periculum: Incipe delectari triumphis anxiis *Gallorum* regis, hoc præmium eſt virtutis (*Chriſtianæ*) ſic reſtituis nos in regna. Et gratia antiqui facti manet in bene gratis

ani-

Digitized by Google

Non equidem, nec te; juvenis memorande, ſilebo,
Per caput hoc juro, nullo diſcrimine, ſacrum:
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.
Ingredere, & votis jam nunc aſſueſce vocari,
Sermonum memor, & promiſſi muneris heros.
Exoritur trepidos inter diſcordia cives,
Virtute exſuperas, & vis inimica propinquat,
Gratior & pulchro veniens in corpore virtus
Adjuvat: ingenti ſonuerunt omnia plauſu.
Ni frænum accipere & victi parere fatentur,
Continuo culpam ferro compeſce priuſquam
Dira per incautum ſerpant contagia vulgus.
  Sic ait & propere exequitur præcepta Sibyllæ,
Una ſuperſtitio ſuperis quæ reddita Divis,
Ingreditur linquens antrum, cœcoſque volutat
Eventus animo: mœrentia pectora mulcet
Spar-

N O T Æ.

221. *Caput ſacrum, ſacratum, &c. Unigeniti Bulla.*

INTERPRETATIO.

animis noſtris. Non ſanè tacebo te in quâcumque circumſtantiâ, ô celebrande juvenis; juro per hoc ſacrum caput (*Unigeniti*) ſemper gloria, & nomen tuum, & laudes durabunt. Aggredere (*magnas res*) & jam nunc aſſueſce invocari per vota; Heros memor verborum, & promiſſi officii. Diſſentio naſcitur inter cives turbatos; excellis fortitudine, & poteſtas (*hæretica*) adverſa propinquat; & virtus gratior apparens in formoſo corpore protegit te; omnia loca ſonuerunt magno plauſu. Niſi (*hæretici*) voluerint admittere frænum, & ſuperati obedire (*Eccleſiæ*) ſtatim coerce *hæreſim* ferro, antequam ſæva contagio gliſcat in turbam quæ ſibi non cavet.

Sic loquutus eſt, impletque celeriter juſſa Sibyllæ; quæ ſola religio impoſita eſt Diis cœleſtibus, incedit relinquens cavernam (*ſacram*) & volvit ſecum mente caſus obſcuros. Solatur verbis mœſta corda ſpargens (*populum*)

Spargens rore levi quò non præſtantior alter
Excutere, & ſanctos reſtinguere fontibus ignes.
Interea ſcandit fatalis machina muros,
Stridens, & celeres incognita tranſilit umbras,
Suſtinet & folia haud ullis labentia ventis;
Imprimis fata imponit diverſa duorum,
Quem damnet labor, & quo vergat pondere lethum,
Terribili monitu procedere longius iras.
Hæc tum multiplici populos ſermone replebat:
Namque fore illuſtrem famâ, fatiſque canebant
Ipſam, ſed populo magnum portendere bellum.
Senſit læta dolis; improvida pectora turbat,
Indiſcreta ſuis, gratuſque parentibus error,
Cum caput obſcurâ nitidum ferrugine texit.
Abdiderat ſeſe, atque aris inviſa ſedebat,
Involvens umbrâ magnâ terramque polumque:

Rur-

N O T Æ.

238. *Machina Fatis contraria, Bulla ſcilicet.*
241. *Duorum, Molina & Janſenii.*

INTERPRETATIO.

lum) rore levi (*aquæ laſtralis*) quo non eſt alter aptior ad extinguendos liquore ſuo ſacros ignes. Inter hæc fatalis machina (*Bullæ*) intrat muros (*Eccleſiæ*) ſtridens, & improviſa trajicit leves umbras, habetque folia quæ nullo vento decidunt. Additque fata oppoſita amborum, (*Molinæ & Janſenii*) ut videat *unuſquiſque* cui labor male ſuccedat, aut quo pondere mors inclinet; cum horrendis monitis, iras (*Bullæ*) progredi ulterius. Illa tunc implebat populos vario rumore; etenim aiebant ipſam futuram eſſe famâ & fortunâ illuſtrem: ſed minari genti magnum bellum. Id animadvertit (*Bulla*) gaudens fraudibus, turbat incautas mentes. Indiſtincta ſuis parentibus, & cauſa mundi erroris, quando velat lucidem caput obſcurâ ferrugine (*Theologiæ*), occultaverat ſeſe, & hærebat aris non viſa; tegens magnis umbris, &

ter-

Digitized by Google

Rurſus & in veterem fato revoluta figuram
Naſcitur, & lævo contriſtat lumine cœlum.
Inſtamus tamen immemores, cœcique furore,
Et monſtrnm infelix ſacratâ ſiſtimus arce.
Incerti quò fata ferant, ubi ſiſtere detur,
Huc illuc, nec enim levia aut ludicra petuntur
Præmia, ſed cœlo, fatiſque ad ſydera tolli.
Arrêxere animos Itali, Rex ipſe Latinus
Fulminis afflavit ventis penetralia regum;
Exſurgitque facem attollens, atque intonat ore.
Hic vero ſubitûm corpus miſerabile nati
Multa querens ſtygiâ candentem tinxerat undâ.
Tantorum impenſis operum, vimque affore verbo
Crediderat, nec ferre videt ſua gaudia ventos;
Auxilioque urbes Italæ, populique ſuperſunt,

Mul-

N O T Æ.

252. *Vetus Figura, qualem habuit tempore Innoc. X., & Alexand. VII.*

I N T E R P R E T A T I O.

terram & cœlum: iterum oritur reverſa in antiquam formam per fatum, & contriſtat cœlum luce ſiniſtrâ. Urgemus tamen improvidi, & occæcati inſaniâ; locamuſque funeſtum portentum in ſacrâ arce. Dubii quem in locum fata nos mittant, ubi permittatur manere: huc, illuc, non enim quæruntur præmia tenuia, aut ludicra, ſed ad cœlum & ad aſtra evehi fatis. Itali ſuſtulerunt animos: ipſe *Pontifex* Latinus afflavit aurâ fulminis atria regum, & ſurgit erigens facem, & vociferatur ore. Ille autem multum querendo merſerat improviſum, miſerandumque cadaver (*Unigeniti*) aquis ſtygiis: ille putaverat virtutem adfuturam impenſis tantorum laborum, & (*incantamento*) verborum; nec animadvertit ventos rapere ſuam voluptatem. Et urbes ac nationes Italiæ ad ſubſidium reſtant.

Multa ſimul contra variis ſententia dictis,
Ut primùm diſcuſſæ umbræ, & lux reddita menti eſt.
Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Concipiunt, fraudemque & operta tumeſcere bella
Agnoſcunt: mœſtam incendunt clamoribus urbem.
Flent mœſti muſſantque patres, hinc undique clamor
Diſſenſu vario magnus ſe tollit ad auras.
At fratres, animoſa Phalanx, accenſaque luctu,
Amiſſos longo ſocios ſermone requirunt.
Nunc victi triſtes quoniam fatiſque repulſi
Nequicquam & rarâ muros cinxêre coronâ:
Inconſulti abeunt, ſedemque odêre Sibyllæ.
Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus,
Teſtaturque Deos, incuſat voce Latinum,
Rumoreſque ferit varios, ac talia fatur.
Deſi-

NOTÆ.

272. *Senatores, aut Præſules quidam, exigui numero, ſed bello vivida Virtus.*

274. *Fratres Sorbonici, de quibus Libr. II. in principio.*

INTERPRETATIO.

Contra multiplex eſt ſimul ſententia variis verbis: ſtatimatque tenebræ diſſipatæ ſunt, & lumen redditum eſt animis, ſpecies animorum mutantur, & corda ſuſcipiunt affectus, vident ſecretos tumultus imminere, inſidiaſque & bella occulta parari. Commovent clamoribus urbem omnem. *Præſules* plorant, queruntur que triſtes, tum ingens clamor effert ſe undique in aerem, cum multiplici diſcordiâ. Sed Fratres (*Sorbonici*) turba generoſa & concitata dolore, inquirunt longo colloquio de ſociis amiſſis: nunc ſiquidem ſuperati, mœſti, & fatis repulſi, fruſtra cingunt muros (*Eccleſiæ*) exiguo numero. Exeunt ſine conſilio, & oderunt domum Sibyllæ (*Vaticanæ*). Plebs ambigua diſtrahitur in oppoſita conſilia: atteſtatur Deos, & increpat altâ voce Latinum (*Pontificem*); ſpargit varios rumores, & dicit talia. Ceſſa nunc denique, &

Deſine jam tandem, precibuſque inflectere noſtris,
Sermonem & vulgi variare labantia corda.
Nunc ad te & tua, magne Pater, conſulta revertor:
Quid ſtruis, aut quâ ſpe gentes agitare quietas,
Concurrunt Itali? Propiùs res aſpice noſtras.
Nec ſuper ipſe tuâ moliris laude laborem
Talibus inſidiis, divino ex ore ſacerdos;
Nec gens ulla tuos æque celebrabit honores.
Talia vociferans gemitu tectum omne replebat.
Pars ſtupet innuptæ donum exitiale Sibyllæ:
Pro ſe quiſque viri divini ſigna decoris
Tum vero ardemus ſcitari, & quærere cauſas.
Ignarique viæ, corpus miſerabile nati,
Undique viſendi ſtudio nova regna petentem,
Circumſtant fremitu denſo: nam ſæpe videmus
Ipſius in vultu varios errare colores.

Ne-

N O T Æ.

297. *Colores, Senſus varii.*

INTERPRETATIO.

& flectaris noſtro rogatu, cauſam eſſe cur differant ſermones; & animi plebis mobiles diſſentiant. Jam redeo ad te, & ad tuam deliberationem, ô *ſancte* Pater: quid paras, aut quâ ſpe Itali accurrunt ad ſollicitandos populos tranquillos? Benigniùs reſpice miſerias noſtras, nec ſuſcipis ipſe laborem ad tuam laudem, talibus dolis, divino ex ore tuo (*ô Pontifex*), nec ulla Natio adeo celebrabit cultum tuum. Talia inclamans implebat gemitu totam domum. Pars ſtupet munus pernicioſum innuptæ Sibyllæ unuſquiſque noſtrum, tunc vero cupimus interrogare quæ ſint indicia divinæ pulchritudinis, & petere cauſas (*Controverſiæ*), & inſcii viæ (*Cœleſtis*) undique cupiditate videndi, conglobantur multo cum murmure miſerandum cadaver *Unigeniti*, quærentem nova regna: nam ſæpe videmus diverſos colores ſpargi in vultu illius. Fru-

ſtra

Digitized by Google

Nequicquam hanc genitrix faciem miſerata refecit,
Et multo nebulæ circum Dea fudit amictu:
Agnoſcunt faciem inviſam atque immania membra.
Sacrati Capitis, & non tolerabile numen.
Jamque catervatim, nec Diis, nec viribus æquis
Sponte ſuâ veniunt; quæ ſint habitura Deorum
Concilia, & cauſas penitus tentare latentes
Regis Romani, & procurrere longius audent:
Cedat jus patrium regi, patriæque remittat.
Idem omnes ſimul ardor agit: fervore furentes
Attollunt capita, & ſublimi vertice nutant;
Ventum ad ſupremum eſt, acuunt rumoribus iras:
Nam quod conſilium, aut quæ jam fortuna dabatur?
Attulit & nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium, adventumque Dei: gratiſſimus augur
Fini-

NOTÆ.

306. *Jus Gallicanæ Eccleſiæ.*
310 *& ſeqq. Queſnelius, ut ſuprà paſſim.*

INTERPRETATIO.

ſtra mater (*Eccleſia*) miſerta reparavit hanc formam & circumdedit (*eam*) multo tegmine nubis, (*utpote*) Dea. Agnoſcunt homines vultum inimicum, & grandia membra Capitis ſacri (*Unigeniti*), & intolerabilem divinitatem, & jam ultro veniunt viri turmatim, nec Diis nec viribus paribus; audent inquirere quæ dictura ſint concilia Deorum, & explorare cauſas occultas *Pontificis* Romani, & progredi longius permittat (*Pontifex*), aiunt illi, Regi (*Gallo*), & relinquat Patriæ jus ſuum. Eadem cupiditas impellit ſimul omnes. Ardore ferocientes erigunt ad cœlum capita, & motant altum cacumen. Ventum eſt ad ultimum; ſtimulant furorem multiplici rumore quod enim conſilium vel quæ fors jam offerebatur? Tandem tempus attulit nobis cupientibus, opem & præſentiam Dei: acceptiſſimus

Digitized by Google

Finibus extorris tot jam labentibus annis,
Ingentem cœlo ſonitum dedit arte magiſtrâ;
Longius & volvens fatorum diſpulit umbras:
Si qua fidem tanto eſt operi latura vetuſtas,
Admonet immiſcetque preces longævus aruſpex,
Et multum làchrymas verba inter ſingula fundit.
Multa Deos auraſque pater teſtatus inanes;
Cogitur & ſupplex dejecto lumina vultu,
Ire iterum in lachrymas, iterum tentare precando;
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora.
Hic rem Romanam, famâ ſuper æthera notus,
Invidet, & fatis regem ſe dicere poſcit.
Effuſus labor, en iterum crudelia retro
Fata vocant: mœſtis late loca queſtibus implet,
Affaturque Deos, & ſanctum ſydus adorat.
Tum celerare fugam, patriâque excedere ſuadet,
Suſpirans, imoque trahens à pectore vocem.

Cæ-

INTERPRETATIO.

ceptiſſimus vates exul è finibus ſuis, tot annis jam elapſis, edidit ingentem crepitum in aerem, arte præcipuâ (*Theologiæ*), & longe revolvens fugavit umbras (*Doctrinæ*) fatorum, ſi aliqua poſteritas datura eſt fidem tanto facto. Senior augur monet & adjicit preces, interque ſingulas voces emittit multum lachrymarum. Pater (*Fatidicus*) ſæpius atteſtatus Deos, & aerem vacuum: cogitur rurſus deſcendere ad lachrymas; rurſus oppugnare precando (*Latinum Pontificem*) oculis demiſſis è vultu; lacerans vultum unguibus, & pectus pugnis. Hic (*Vates*) celebris uſque ad cœlum, invidet imperium (*Religionis*) Romanæ; & efflagitat dicere ſe vocari fatis in regnum (*Religionis*). Omnis opera perdita eſt, ecce rurſus dura fata retro appellant illum: implet loca omnia triſtibus querelis; alloquitur Deos, & adorat ſanctam ſtellam (*Prædeſtinationis*). Tunc ſuſpirans & educens vocem ex intimo pectore, ſuadet ut celerent fugam (*Diſcipuli Janſenii*) & exeant

è

Cæruleus Proteus redimitus tempora lauro,
Seditione potens, avidus confundere fœdus,
Exultat demens, ſimul æthera verberat alis.
Tum ſocios (namque omnis eum ſtipata tegebat
Turba Ducum) ſic incipiens hortatur ovantes:
Arma parate animis, ſtirpem & genus omne futurum
Exercete odiis, lupus inſidiatus ovili eſt.
Heu pietas! collapſa ruunt immania membra
Sacrati Capitis: duris dolor oſſibus ardet.
Concurrunt Itali ſceleratam excindere gentem:
Monſtrat amor verus patriæ depellere peſtem.
Præcipitate moras: nec plura effatus, at illi
Diſcurrunt variantque vices, incendia volvunt;
Illi armis in regna ruunt: ferit aurea clamor
Sydera, nullus amor populis, nec fœdera ſunto.
Tum ſtudio effuſæ matres, & vulgus inermum,
In-

N O T Æ.

330 *Vide ſuprà, Verſ.* 33.

INTERPRETATIO.

è Patriâ. Proteus *Purpuratus* coronatus Lauro (*Gallico*) potens factionibus, cupidus turbare fœdus (*Eccleſiæ*) gaudet inſanus: ſimul quatit aerem alis (*ambitioſis*). Deinde ſic exorſus hortatur ſocios (*Corvos*) exultantes; nam omnis turba ducûm circumſtabat eum denſa. Parate arma animo veſtro: perſequimini odiis ſtirpem (*hæreticam*) & omnem gentem futuram: lupus inſidiatus eſt ovili (*Chriſtiano*). Heu pietas! Vaſta membra ſacri Capitis (*Unigeniti*) ſternuntur dejecta. Indignatio mea augeſcit in oſſibus duris. Accurrunt Itali ad evertendam gentem impiam; docet verus amor Patriæ avertere peſtem (*hæreſeos*), accelerate moras: nec plura loquutus eſt, illi autem divagantur, & ſuccedunt ſibi invicem; ſpargunt incendia, irrumpunt in regnum armati; clamor verberat aſtra aurea: nullus amor, nulla concordia ſit inter Populos (*Molinæ*, & *Janſenii*). Tunc cupiditate videndi egreſſæ matres,
&

Digitized by Google

Invalidique ſenes, turres & tecta domorum,
Obſedere: alii portis ſublimibus adſtant.
Stant pavidiæ in muris matres, oculiſque ſequuntur
Crudelis nati galeam, flammaſque vomentem
Erranteſque Deos, agitatque juſſa Sibyllæ.
At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro
Increpuit, ſequitur clamor, pugna aſpera ſurgit.
Longævi palmas nequicquam ad ſydera tendunt;
Vota metu duplicant matres: cunctique Latini
Cœlicolæ aſſenſu vario, lucemque peroſi,
Ætheraque obſcurant pennis, hoſtemque per auras,
Factâ nube premunt: cœlum tonat omne tumultu;
Conſonat omne nemus ſtrepitu, colleſque reſultant.

INTERPRETATIO.

& plebs ſine armis, & ſenes infirmi impleverunt turres, & tecta domorum; alii ſtant in altis portis: matres timidæ ſunt in muris, & viſu ſequuntur Caſſidem crudelis *Unigeniti*, ejicientem ignes, & Deos vagos, & mandata Sibyllæ jactata. At tuba procul excitavit ære rauco, formidabilem ſonum; ſuccedit clamor, oritur crudele prælium. Fruſtra ſenes tendunt manus ad aſtra; matres præ timore renovant preces: omneſque Latini *Theologi* veritatis pertæſi, variis ſententiis inumbrant alis aerem; & velut nube coactâ, urgent hoſtem per aerem: totum cœlum tonat tumultu; tota ſylva reſonat ſtrepitu, & colles reſiliunt.

Digitized by Google

SIBYLLA CAPITOLINA, P. VIRGILII MARONIS POEMATION.

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

VATIS Fatidici aſſeclæ, Simulachri hoſtes, etſi infracti bellum adverſus Corvos Sibyllinos fovent. Variæ ſententiæ ſuprà ſacram Imaginem etiamnum ancipites manent. Encomium Fatidici qui diſcipulos & aſſeclas ſuos alloquitur. Ejuſdem Oratio deprecatoria ad regem Latinum. Comburium ſolemne Appellationis ad Concilium. Vaticinatio Fatidici in Sibyllam & Unigenitum ſuum valde terrifica. Oratio Latini Regis ad Fatidicum, & aſſeclas ſuos abnuentes Imaginem ſacram adorare. Refert Latinus ſancta Oracula auctoritatem ſuam à Fatis vindicans. Ejuſdem morientis verba noviſſima, & Simulachri Commendatio. Indiges Latinus cœlo debitus in Deorum numerum refertur.

DU-

Digitized by Google

DUCENDUM ad ſedes Simulachrum orandaque Divæ
Numina conclamant: ſedeant ſpectentque Latini
Excubias Divûm æternas altaria circum.
Jamque ſacerdotes cuncti contra omnia bellum,
Contra fata Deûm perverſo numine poſcunt.
Certatim quorum melior ſententia menti,
Concordes animæ, inſidias, ſuſpectaque dona
Suſpiciunt iterum, foliiſque ſub omnibus hærent.
Multaque præterea Vatum prædicta priorum
Terribili monitu horrificant, abolere nefandi
Cuncta viri monumenta jubet monſtratque ſacerdos
Fata docens: Divûm templis indicit honorem;
Tum breviter ſupera aſpectans convexa precatur,
Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Quip-

NOTÆ.

10, 11. *Nefandus vir, Pelagius.*

INTERPRETATIO.

CLAMANT Latini invehendam eſſe in *templa* Imaginem (*Bullæ*), & adorandam eſſe Deæ (*Sibyllæ*) divinitatem, ipſi Latini quieſcant & vigilent circum altaria excubiis perpetuis Deorum; & jam omnes ſacerdotes flagitant bellum contra auſpicia, contra (*doctrinam*) fatorum Divinorum. Certatim concordes *Theologi*, quorum animo prudentior erat ſenſus, rurſus aſpiciunt ſurſum dolos & munera ſuſpecta, hærentque legendo omnia folia (*Bullæ*), & præterea Vaticinia veterum Vatum terrent monitis horrendis. Sacerdos fatidicus docet delere omnes reliquias peſſimi (*Pelagii*), mandatque ſacra fieri in templis Deorum; deinde ſuſpiciens concavas partes ſummi cœli, orat breviter: ſpem fronte fingit, ſed comprimit corde profundum dolorem, nam metuit domum du-

 biam,

Quippe domum timet ambiguam, durique venenum
Dentis, & ille etiam cœcos inſtare tumultus
Sæpe monet, fraudemque, & operta tumeſcere bella.
Multa virum meritis ſuſtentat fama trophæis:
Ille quidem ad ſuperos quorum ſe devovet aris
Succedet famâ, vivuſque per ora feretur.
Jura dabat legeſque viris, operumque laborem:
Ille operûm cuſtos, illum admirantur, & omnes
Circumſtant fremitu denſo, ſtipantque frequentes;
Et mœſtas alto fundunt de limine voces.
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.
Principio ſocii edicit ſigna ſequantur:
Compoſito rumpit vocem lachrymanſque gemenſque;
Et via vix tandem voci laxata dolore eſt.
Ad cœlum tendens ardentia lumina fruſtra,

Inci-

NOTÆ.

15. *Domus ambigua: vid. Libr. III. Verſ.* 44.
16. *Vide in Bullâ Propoſ.* XCIV, *XCVII*, *XCVIII*, *XCIX*, *&* C.
26. *Signa*, *Scripturam & Patres.*

INTERPRETATIO.

biam & fallacem (*Corvorum*), venenumque duri dentis. Ille quoque ſæpe declarat ſecretos tumultus imminere, inſidiaſque, & bella occulta parari. Multa fama tuetur virum partis trophæis: ille equidem famâ accedet ad Deos quorum altaribus conſecrat ſe, & immortalis curret per ora (*hominum*). Diſtribuebat jus & leges divinas, & laborem operum: ille præſidet operibus, (*Diſcipuli*) admirantur illum, & omnes circa illum conglobantur multo cum murmure, ambiuntque illum magno numero, & è portâ ſublimi emittunt voces luctuoſas. Ille temperat animos, & placat corda ſermone. Primo imperat ſociis ut ſequentur vexilla (*divinâ*) ex compacto emittit vocem, flens & gemens; ac demum difficile via aperta eſt voci per dolorem. Fruſtra tollens ad cœlum ardentes oculos,

ordi-

Incipit, & dictis divinum aſpirat amorem.
Partem aliquam venti Divûm referatis ad aures.
Heu nihil invitis fas quenquam fidere Divis!
Fortuna omnipotens & ineluctabile Fatum,
Nulla meis ſine te quæretur gloria rebus.
Nec veni niſi fata locum, ſedemque dediſſent,
Omnibus in templis veterum præcepta referre,
Aut aris ſervare ſacris oracula Divûm.
Multa gemens ignominiam plagaſque ſuperbi
Victoris: primâ repetens ab origine famam.
Ecce inimicus atrox magno ſtridore per auras
Inſequitur patriis acer Romanis in armis.
Heu! pietas, heu! priſca fides quibus Itala jam tum
Floruerit terra alma viris, tua numina firmes;
Supplicibus ſupera votis mutare Latinos,

Ducto-

NOTÆ.

32. *Vide in Bullâ Propoſ. XLIX, LVII, LXV, LXVII, ſed præcipue Propoſ. XII & XIII.*

42, 43. *Tempore Divi Thomæ Aquinatis.*

INTERPRETATIO.

orditur verba, & immittit (*auditoribus*) divinum amorem verbis; ô venti ferte ad aures Deorum aliquam eorum partem. Heu! nihil oportet quemquam ſperare invitis Diis. Fortuna omnipotens, & Fatum inevitabile, nullus honor acquiretur meis rebus ſine te. Nec veniſſem huc niſi fata aſſignaſſent mihi hanc *Provinciam*, & hanc ſedem; ad enarranda antiquorum præcepta inter Deorum myſteria; vel ad ſervanda Deorum oracula ſanctis altaribus: multum dolens de ignominiâ, & vulneribus illatis à feroci victore; repetens famam à primâ origine. Ecce hoſtis crudelis magno murmure perſequitur me per aerem; Romanus (*ſcilicet*) fortis in *Pontificali* exercitu. Heu pietas, heu fides antiqua! Quibus (*virtutibus*) abundavit jam tunc tellus Italica, nutrix virorum (*illuſtrium*), confirma vim tuorum promiſſorum, placa votis (*numina*) ut

mu-

Digitized by Google

Ductoreſque ipſos primum, ſanctumque Senatum.
At ſi quos haud ulla viros vigilantia fugit,
Quid majora ſequar, mœſtas expromere voces,
Auxilioque levare viros, conjungere plures
Ne recipi portis, aut duci in mœnia poſſit
Infelix Simulachrum, & notâ major Imago.
Heu ſtirpem inviſam! & fatis contraria noſtris
Aut juga detrectans, interdumque aſpera cornu,
Illa dolos dirumque nefas in pectore verſans,
Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras.
Poſtquam viſa ſatis primos acuiſſe furores,
Conſiliumque omnemque domum vertiſſe Latini,
Invadit, ſocioſque incendia poſcit ovantes.
Attullit ipſe viris optatum caſus honorem,
Certatim regis circumſtant tecta Latini:
Et vires habuêre ſuas, ad ſydera raptim
Vi propriâ nituntur ovantes gutture Corvi.

Exi-

INTERPRETATIO.

mutentur (*corda*) Latinorum præcipue Ducum ipſorum, & ſacri Collegii; ſed ſi nulla vigilantia deeſt quibuſdam viris, quid facerem majus quàm emittere triſtia verba, adjuvare viros auxilio, connectere multos (*fœdere*) ne miſera Species (*Bullæ*) & Imago grandior quam ea quæ erat cognita, poſſit capi portis, & induci in muros (*Eccleſiæ*). Vah gentem odioſam (*Corvorum*!) oppoſita Fatis noſtris, fugiens jugum (*fidei*) aliquando cornibus petens: illa meditatur animo fraudes, & ſævum crimen, per hoc monſtrum (*Bullæ*) illa olim exercuit iram horribilem. Poſtquam viſa eſt ſibi ſatis ſtimulaviſſe primas iras, & turbaſſe omnem familiam atque conſilium Latini (*Patris*), impugnat nos, & vocat ad incendium ſocios gaudentes. Interim pervadunt (*Corvi*) in aulas & domos regum, & Britannos omnino ſeparatos à cœteris Populis. Ipſa fortuna attulit viris gloriam cupitam. Certatim cingunt domum (*Pontificis*) Latini; & Corvi exultantes gutture habent virtutes proprias; citó aſſurgunt in cœlum

viri-

Exiguæ vires, lethi diſcrimina parva
In caſus omnes ſi qua eſt fiducia forti!
Interea penetrant aulas, & limina regum,
Et penitùs toto diviſos orbe Britannos.
Obſtupuêre animis alii miſerum inter amorem
Præſentis terræ, fatiſque vocantia regna.
Quod genus hoc hominum qui nos fugiatis amicos?
Nunc & oves ultro fugiat lupus; abſtulit error
Vatem Paſtores: vino ſomnoque per herbam,
Scilicet immemores ſupera ut convexa reviſant,
Omnia diſcerpunt & nubibus irrita donant.
Quæ regio in terris noſtri non plena laboris?
Dicite priſca fides facto, ſed fama perennis,
Dum melior vires ſanguis dabat, æmula necdum
Temporibus geminis canebat ſparſa ſenectus.
Pulſus ob invidiam, nec habet fortuna regreſſum,
Invalidus jam jamque tremens, cum gente Deorum;
Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,

Et

INTERPRETATIO.

viribus ſuis. Vires parvæ quæ parum diſterminant à morte, in omnibus periculis: ſi aliqua eſt confidentia in (*homine*) forti! Alii ſtupefacti ſunt in animo ſuo; dubii inter miſerum amorem hujuſce terræ, & regna invitantia per fatum. Quodnam eſt hoc genus hominum, qui recuſetis nos amicos? Nunc & lupus ſponte fugiat oves: error rapuit Vates, & *Præſules*, diſſipant omnia & ſpargunt illa inania per nubes. Nempe obliti ſuſpicere curvaturam cœleſtem propter vinum & ſomnum inter gramina. Quæ plaga in terris non plena noſtrorum laborum? Dicite (*hoc*) antiqua eſt certitudo; tamen fama eſt æterna, dum ſanguis calidior præbebat robur, & nondum ſenectus æmula albeſcebat, ſparſa utriſque temporibus capitis. Ejectus ob cupiditatem (*æmulorum*) nec fortuna habet ullam viciſſitudinem: debilis imo & tremens cum ſtirpe Deorum triſtis ducebam vitam in dolore, ac tenebris; & clam indignabar

Digitized by Google

Et caſum inſontis mecum indignabar amici.
Italiam petiit fatis duriſſima regna:
Succeſſum Dea dira negat; tum juſſa Sibyllæ
Terrificant animos, & inania murmura miſcent.
Stat caſus renovare, nefas patrio excidit ore:
Nam ſæpe incautis paſtoribus excidit ignis.
Sic fatus Senior, pollutâ pace Latinum
Tum ſic ignarum alloquitur: vigilaſne Deûm gens?
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo;
Projice tela manu genitor: tua triſtis Imago
Sæpius occurrens, hæc limina tendere adegit.
Quid miſeros toties in aperta pericula cives
Projicis, ô Latio caput horum & cauſa malorum?
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Parce pio generi: comites qui ſigna ſecuti,
Supplicia, & ſcelerum pœnas expendimus omnes.

Nuſ-

INTERPRETATIO.

dignabar ob infortunium innocentis amici. Pugnavit adverſus Italiam (*cujus*) ſæviſſimum eſt imperium in fatorum (*doctrinam*). Furia divina abnuit ei ſucceſſum, & mandata Sibyllæ (*Romanæ*) terrent mentes, eduntque inutiles ſonos. Deliberatum eſt renovare caſus (*Controverſiarum*) crimen exiit ex ore (*ſancti*) Patris: nam ſæpe *Præſulibus* imprudentibus excidit ignis (*Vaticanus*). Sic dixit Senex fatidicus; deinde ſic affatur Latinum (*Pontificiem*) inſcium pacem rupi. An vigilas Deorum ſoboles? & tu prior, tu abſtine qui trahis originem è cœlo. Projice arma (*Vaticana*) è manibus. O Pater, tua mœſta Imago (*Bullæ*) ſæpe viſa, impulit me ut venirem ad hæc loca. Cur toties propellis miſeros cives (*Chriſtianos*) in manifeſta pericula? O tu qui es Latinis origo & cauſa calamitatum illarum, repellis Indos à Romanis *templis*. Ignoſce religioſæ genti. Socii qui ſecuti ſumus vexilla (*divina*) luimus ſupplicia, & omnes pœnas criminum.

Nulli-

Digitized by Google

Nuſquam tuta fides: terrorum & fraudis abunde eſt.
Nulla ſalus bello: pacem te poſcimus omnes.
Ignaroſque viæ mecum miſeratus agreſtes,
Et conjuratos cœlum reſcindere fratres;
Exerce imperia & propiùs res aſpice noſtras.
Venimus huc lapſis quæſitum oracula rebus:
Sunt lachrymæ rerum & mentem mortalia tangunt.
Nec minus & miſeri diverſâ in parte Latini.
Pro Latio obteſtor, pro majeſtate tuorum:
Da pater augurium, atque animis illabere noſtris;
Quem feſſis finem rebus ferat, unde laborum
Tentare auxilium jubeat, diſcrimine tanto.
Excluſi ante oculos lachrymantumque ora parentum,
Nos Patriæ fines & dulcia linquimus arva.
Da Pater hoc noſtris aboleri dedecus: illos
Juveris auxilio; mandata noviſſima perfer.

Tol-

INTERPRETATIO.

Nullibi certa eſt fides; terrores, & doli abundant: nulla eſt ſalus in bello; omnes flagitamus à te pacem. Miſeratus ruſticos inſcios viæ ſalutis, & fratres (*hæreticos*) conjuratos evertere cœlum, exerce tua (*ſancta*) imperia, & benigniùs aſpice miſerias noſtras. Venimus huc ad petendum oraculum quod medeatur damnis rerum noſtrarum. Eſt commiſeratio calamitatum, & caſus hominum movent corda. Nec aliter infelices ſunt Latini in aliâ parte. Obſecro te pro Latio, pro dignitate tuorum (*Præſulum*), ô ſancte Pater, præbe nobis *explicationem* & deſcende in mentes noſtras, (*ut norimus*) quem terminum ponat rebus afflictis, unde imperet nos quærere ſubſidium tot difficultatibus, in tanto periculo. Excluſi (*à beneficiis*) ante oculos & vultus parentum plorantium nos deſerimus terminos Patriæ, & agros amœnos concede, ô (*ſancte*) Pater, hanc ignominiam deleri noſtris (*ſociis*); recrea illos ope tuâ, fer ultima monita. Clamor erigitur

ad

Tollitur in cœlum clamor: cur non tua quiſquam
Flectere juſſa poteſt? Dominis parere ſuperbis,
Atque ſuperba pati faſtidia poſſumus omnes!
Jungentur jam gryphes equis, ævoque ſequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.
Talibus incenſa eſt juvenum ſententia dictis,
Hoc fletu concuſſi animi, mœſtuſque per omnes
It gemitus: magno veluti cum flamma ſonore
Virgea ſuggeritur coſtis undantis aheni.
Clamore excipiunt ſocii fremituque ſequuntur,
Et vox aſſenſu nemorum ingeminata remugit.
  Heu Vatum ignaræ mentes! Rex ipſe Latinus
Conſilium vultu tegit, ac ſpem fronte ſerenat.
Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit:
Ut pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ ſeſe multis circum latrantibus undis
Mole tenet: ſcopuli nequicquam & ſpumea circum
Saxa

INTERPRETATIO.

ad cœlum: cur nullus poteſt frangere vim mandatorum tuorum? Si omnes poſſumus obedire Dominis ferocibus; & imperioſa faſtidia tolerare. Jam gryphes copulabuntur equis, & futuris temporibus, pavidi damæ venient potum cum canibus. Talibus verbis (*Fatidici*) conſilium Juvenum confirmatum eſt: animi commoti ſunt hoc luctu, & triſtia ſuſpiria mittuntur ab omnibus: ſicut quando flamma excitata è virgis ſupponitur magno crepitu, lateribus ollæ æreæ ſpumantis. Socii (*Fatidici*) ſuccedunt ei cum clamore, & ſequuntur ululatu; voxque reboat multiplicata repercuſſu ſylvarum.

Heu ignaræ mentes Vatum! Ipſe (*Pontifex*) Latinus celat concilium ſub vultu, & exhilarat frontem ſpe ſimulatâ. Ille obſiſtit velut rupes maris immobilis; veluti rupes maris magna tempeſtate inſtante quæ multis fluctibus circumſonantibus ſuſtentat ſe mole ſuâ: fruſtra ſcopuli, &

Digitized by Google

Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga.
Invalidus vires ultra ſortemque ſenectæ,
Nec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli:
Imo in corde pudor miſtoque inſania luctu,
Debilitat vires animi. Rex obſitus ævo,
Canities inculta jacet cui plurima mento,
Proſequitur votis Latio increbreſcere nomen.
Ille malum virus Serpentibus addidit atris;
Sacrati Capitis vivit ſub pectore vulnus:
Non illum noſtri poſſunt mutare labores;
Fata obſtant, placidaſque viri Deus obſtruit aures.
Dat ſignum cœlo quo non præſentius ullum
Turbavit mentes Italas, monſtroque fefellit.
Huc tunc ignipotens cœlo deſcendit ab alto

In-

N O T Æ.

136. *Corvi prudentiam habent Serpentum.*
140 *&* *ſeqq. Vide* Mercur. Batavum, *April.* 1717.

INTERPRETATIO.

& ſaxa ſpumantia circum ſtrepunt, & alga impacta, appellitur lateri. Infirmus ſuprà robur, & conditionem ſenectutis, nec facilis videri, nec ſermone affabilis cuiquam. Pudor in corde intimo, & amentia juncto cum dolore, minuit robur animi. (*Pontifex*) obrutus ſenio, cui multa eſt in mento canities neglecta; cupidè inſequitur votis famam ſuam latè ſpargi in Latio. Ille adjunxit noxium venenum nigris Serpentibus: plaga ſacri Capitis (*Unigeniti*) durat ſub corde (*Pontificis*): noſtræ curæ nequeunt illum flectere, fata obſtant, & Deus occludit (*Pontificis*) benignas aures. Ille præbet ex alto cœlo oſtentum quo nullum oportunius turbavit animos Italos, & decepit prodigio. Tunc Vulcanus cui inſula cingebat

 ca-

Digitized by Google

Infula cui ſacrâ redimibat tempora vittâ;
Quatuor hic invectus equis, & lampada quaſſans.
Exarſêre ignes rebus jam ritè paratis,
Stridenti miſerum ſtipulâ diſperdere carmen.
Nunc etiam horribili viſu portenta ſequuntur,
Quantum ignes, animæque valent, ſi credere dignum eſt.
Porta tonat cœli, piceum fert fumida lumen,
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente favillâ:
Signavitque viam flammis pietatis Imago;
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant
Tum reges, aſperque immani corpore Tybris:
Hîc ſpecus horrendum, & ſævi ſpiracula Ditis,
Monſtrantur; ſævamque exhalat opaca mephitim,
Peſtis & ira Deûm ſtygiis emiſſa tenebris,
Concilium horrendum! dant clara incendia lucem:

Hoc

INTERPRETATIO.

caput tæniis deſcendit illuc è cœlo, ille vectus quatuor equis, & quatiens tædam. Accenſus eſt ignis, jam benè præparatis rebus, ad tradendum igni ſtridenti miſerabilem Cantilenam(*Appellationis ad Concilium*). Nunc quoque monſtra terribilia aſpectu, inſectantur nos, quantum poſſunt flammæ & flatus, ſi fas eſt credere. Porta cœli tonat, & fumifera emittit lucem piceam. Emittitque aliquando ad cœlum nigram nubem fumantem turbine piceo, & ferventibus favillis. (*Bullaque*) Imago pietatis notavit iter *ignibus* (*armata*), & longe ab oculis abiit in levem aerem. Igitur reges (*Purpurati*) & plebs Tyberina, vaſto corpore, omnes circum querebantur magno clamore, dicebantque, hic oſtenduntur antrum horribile oſtiumque ſævi Plutonis. Et peſtis (*hæreſeos*), furor Deorum, emiſſa è nocte infernâ emittit umbroſa, denſum putorem *ſulfuris*, Concilium horrida res eſt, claræ flammæ præbent

lu-

Hoc ſignum cecinit miſſuram Diva creatrix.
Continuò Vates: externum cernimus, inquit,
Adventare virum, & ſummâ dominarier arce.
Sortitus fortunam oculis, & turbinis inſtar
Lumina precipitemque immani turbine adegit
Lethæum ad fluvium, natumque unâque Sibyllam:
Cum complexa ſui corpus miſerabile nati,
Atque Deos, atque aſtra vocat crudelia mater.
Non illum nobis genitrix pulcherrima talem
Promiſit: docuit natorum ſanguine matrem
Commaculare manus, cœli qui ſydera tollit.
Is genus indocile ac diſperſum montibus altis,
Finibus expulſum ſpeluncis abdidit atris;
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.

NOTÆ.

161. Baſnage (Jacobus) cujus Liber adverſus Unigenitum acriter pugnat.

171 *& ſeqq. Vide Orationem Ægidii le Maiſtre in* Hiſt. Concilii Tridentini, *Libr. V, Ann.* 1558.

INTERPRETATIO.

lucem. Mater (*Eccleſia*) monuit ſe daturam hoc indicium. Statim Vates (*fatidicus*) dixit, videmus appropinquare hominem peregrinum, & regnare in ſupremâ arce (*Eccleſiæ*), explorans oculis opportunitatem, & lucem: ſicut procella, vaſto turbine proſtratos transfixit ad amnem oblivionis *Unigenitum* ac ſimul Sibyllam; dum mater (*Sibylla*) amplexa miſerandum cadaver *Unigeniti* ſui, & Deos & ſydera fera appellat. Mater ejus formoſiſſima non eum nobis pollicita fuerat talem. Ille ſuaſit olim matribus cruore liberorum fœdare manus (*ſub nomine illius*) qui portat aſtra cœli. Ille clauſit in antris obſcuris, auctoritate ſuâ coercet, catenis & carcere; gentem immanſuetam (*hæreticam*), diffuſam per montes excelſos; ejectam è terminis Patriæ. Odioſam fatis, ge-

Inviſum fatis crepitantibus urere flammis,
Matre Deâ monſtrante viam, pro numine læſo,
Permittit: tantæne animis cœleſtibus iræ!
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater
Cauſa mali tanti; liceat te voce moneri,
Aut Deus ille malis hominum miteſcere diſcat.
Quæ poſtquam Vates ſic ore effatus amico eſt,
Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit,
Jactatus fatis, haud læta fronte Latinus.
Iſque amens animi, & rumore accenſus amaro
Subſtitit, infremuitque ferox ululante tumultu:
Tum quaſſans caput hæc effudit pectore dicta.
 Infelix Vates, quid me alta ſilentia cogis
Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem;
Dum conſulta petis ſpe multum captus inani?
Non injuſſa cano, ſi quis tamen hæc quoque ſi quis
Cap-

INTERPRETATIO.

netrice (*Eccleſiâ*) iter oſtendente tolerat, cremari igne crepitante, pro divinitate offenſâ. Tantuſne furor ineſt mentibus Divinis? Magiſne immitis mater fuit an *Unigenitus* ille improbus? Improbus fuit ille *Unigenitus*, ſed tu etiam immitis fuiſti, ô mater (*Eccleſia*), cauſa tantarum calamitatum. Liceat admoneri te voce, aut ille Deus *Unigenitus* diſcat placari miſeriis hominum Poſtquam Vates (*fatidicus*) ore benevolo locutus eſt iſta, Rex Latinus fatis agitatus, non hilari vultu videt Vatem oſtendentem plagas datas à crudeli *Unigenito.* Ille autem impos mentis & inflammatus rumore acerbo, conſtitit & infrendit aſper, tumultu ululante: deinde movens caput, emiſit è pectore hæc verba; Funeſte Vates, quare cogis me ſolvere profundum ſilentium, & patefacere ſermone dolorem occultum, dum requiris reſponſa deluſus ſpe admodum vanâ? Canto ea quæ juſſus ſum cantare, ſi tamen

Captus amore leget: lucem ſub nubila jactant.
Felix qui potuit Romanam condere gentem
Felices operum dominos, gentemque togatam!
His ego nec metas rerum, nec tempora pono.
Felix qui potuit per tot diſcrimina rerum,
Per tot ducta viros ſacrata reſolvere jura,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, quæ rite incœpta paravi.
Infelix cui te exitio fortuna reſervat!
Si te nulla movet tantæ pietatis Imago,
Fallit te incautum pietas tua: fulminis ignes
Quinque tenent cœlum, nil me fatalia terrent.
Et veterem in limo ranæ cecinere querelam:
Corripuêre ſacram effigiem, manibuſque cruentis
Virgineas auſi Divæ contingere vittas.

Ne

N O T Æ.

200. *Pietatis Imago: Bulla Alex. VII. vel potius Innoc. X. quæ quinque Propoſitiones damnatas continet.*

INTERPRETATIO.

men aliquis hæc etiam legat horum amore percitus; emittunt (*Bullæ*) ſplendorem ad nubes. Felix ille eſt qui potuit fundare Romanum Populum, dominos proſperos ad opera, & nationem togatam. Ego illis nec definio limites ditionis, nec durationem. Felix ille eſt qui potuit per tam multa pericula rerum, explicare arcana, explicare Sacramenta deducta per tot viros, & poſuit ſub pedibus omnem timorem & fata immanſueta: quæ inchoata deſtinavi (*perficere*), infortunate, cui morti reſervat te fortuna! ſi te nulla ſpecies tantæ pietatis commovet: pietas tua decipit te improvidum. Quinque flammæ fulminis (*Vaticani in Bullâ*) occupant cœlum: nullatenus me terret fatalis doctrina (*Janſenii*), & ranæ (*Batavæ*) in limo canunt antiquam querelam; rapuerunt ſacram *Bullam*, & auſi ſunt tangere ſanguinolentis manibus virgineam in-

 fulam

Digitized by Google

Ne recipi portis aut duci in mœnia poſſit,
Neu populum antiquâ ſub relligione tueri.
Ex illo fluere, ac retro ſublapſa referri
Tum vero manifeſta fides; averſa Deæ mens.
Prodigiis acti Latio dare terga ſequaci,
Abduxêre retro longe capita ardua ab ictu.
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus:
Sive errore malo, moniti meliora ſequamur,
Seu fatis Italûm nullo diſcrimine habebo
Deſine meque tuis incendere, teque querelis,
Proque viro nebulam & ventos obtendere inanes.
Non vires alias, converſaque numina ſentis?
Omnem equidem ſceptris terram quæ libera noſtris,

Diſſi-

NOTÆ.

214. *Fatis Italûm, Thomæ Aquinatis ſcilicet, qui Pauli Prædeſtinationem ſequitur.*

INTERPRETATIO.

ſulam Deæ: ne poſſit capi portis, & induci in muros (*Eccleſiæ*), neve ſervare populum ſecundum antiquam religionem. Ab illo tempore ſcilicet, fides intemerata cœpit evaneſcere, & retro acta abire; animus Deæ (*Eccleſiæ*) alienatus eſt. (*Hæretici verò*) coacti monitis cœleſtibus, objicere terga Latino perſequenti, retro averterunt ab ictu (*excommunicationis*) *ſuperba* capita. Aliquando etiam virtus redit victis in corda: ſive pernicioſo errore (*adducti*), ſequamur admoniti meliora (*conſilia*); ſive (*ſequentes doctrinam*) fatalem (*doctorum*) Italiæ: illos tractabo ſine ullo diſcrimine. Ceſſa commovere & te & me queſtibus tuis, & opponere pro (*Janſenio hæretico*) viro nubem (*Apologiæ*) & vanas auras. Animus meus perſtat immutabilis, monitu & juſſu Deorum. Nonne experiris aliud robur, & mutatos Deos? Certe exiſtimo alienam (*à fide*) regionem eam omnem quæ non ſubdita dominationi

Diffidet externam reor, & ſic dicere Divos.
Nulla ſalus bello! capiti cane talia demens
Gentis bis victæ: morem rituſque ſacrorum
Adjiciam, faciamque omnes uno ore Latinos;
Dum faciles animi juvenum; dum mobilis ætas.
Diis equidem auſpicibus Capitoli immobili ſaxum
Accolet imperiumque Pater Romanus habebit.
Intonſi montes, ipſæ jam carmina rupes,
Ipſa ſonant arbuſta, Deus, Deus ille, reliquit
Pignora chara ſui: non enarrabile textum
Inſtituit: primo avulſo non deficit alter.
Tartareas etiam ſedes, alta oſtia Ditis,
Vim cunctam, atque minas perfert Romana propago:
Progenies magnum cœli ventura ſub axem,

Ipſa

N O T Æ.

221. *Victi Janſenii Aſſeclæ ab Innoc. X. & ab Alex. VII.*
224 & *ſeqq. Vide Evang. Matthæi; Cap. XVI. Verſ.* 18.
230. *Vide* Le Lutrin de Boileau, *Chant. VI. Vers* 90 *& ſuivans.*

INTERPRETATIO.

tioni noſtræ, ſeparatur à nobis: & exiſtimo Deos ſic loqui. Nulla eſt ſalus in bello, ais? Ominare talia, ô inſane, nationi (*hæreticæ*), bis ſuperatæ (*Bullis*): addam modos, & ceremonias ſacrorum, & faciam omnes Latinos unius linguæ (*ac religionis*). Dum animi juvenum dociles ſunt, dum ætas mutabilis eſt. Certè Diis auctoribus, *Pontifex* Romanus habitabit immotam rupem Capitolii; & tenebit imperium orbis. Ipſi montes inculti emittunt clamores: ipſæ rupes modulantur verſus; ipſæ arbores modulantur hoc; Deus, Deus ille eſt: fundavit fabricam inenarrabilem (*Bullarum*); unâ decerptâ altera non deeſt. Et Romana (*Eccleſia*) propagata, ſuſtinet omnem violentiam, & minas infernarum *Portarum* & profundorum adituum Plutonis. Proles (*orthodoxa*) exitura ſub magnum

gnum

Digitized by Google

Ipſa immota manens: non hæc ſine numine Divûm.
Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine judice ſedes.
Nil ſuper imperio moveor ſarcire ruinas:
Hoſtem magnanimum opperiens & mole ſuâ ſtat.
Gens inimica mihi, contraria fata rependens,
Teutonico ritu, ſævi monumenta doloris,
Excubias Divûm veteres tellure recludit.
Uno eodemque igni ſummis quam viribus omnes
Expugnare Itali, ſummâque evertere opum vi
Certabant terraſque metu, cœlumque fatigat;
Suſcitat & ſtimulis cœleſtia corpora demens:
Conſilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, vireſque ſecundas.
Cunctantes ſocios à tergo horrebis Iberos:
It nigrum campis agmen; dabis improbe pœnas.
Illis ira modum ſuprà eſt, & ſpicula cœca relinquunt
Affi-

INTERPRETATIO.

gnum axem cœli, ipſa ſtans inconcuſſa. Certe iſta non contingunt abſque voluntate Deorum: nec verò aſſignantur illæ ſedes (*Pontificiæ*) abſque ſorte, abſque judice. Non moveor ad reparandam jacturam regni: (*regnum meum*) ſtat intrepidum, expectans (*hæreticum*) hoſtem, & immotum eſt ſua magnitudine. Natio mihi infenſa, compenſans fata adverſa (*Janſenii*), more (*hæreticorum*), Germaniæ, aperit antiquas excubias Deorum, monumentum crudelis luctus (*pro me*), quam Itali omnes conabantur *ſuperare* totis viribus, & diruere tota vi potentiæ ſuæ, unâ & eâdem flammâ: quæ etiam timore commovet terras & cœlum; mutabit ſententiam in melius, & mecum promovebit Romanos dominos rerum, & vires proſperas (*Pelagii*). Timebis à tergo Hiſpanos Socios ingruentes qui nunc morantur. Nigra turba incedit per agros, ſolves mihi pœnas, ô improbe. Illi iracundi ſunt ſuprà modum; & relinquunt aculeos occultos affixos venis, (*inde*)

Affixa in venis: præſagi fulminis ignes.
I, nunc ingratis offer te irriſe periclis:
Mortali n' decuit violari vulnere Divum?
Galle, quid inſanis: fuerint quæ fata requiras?
Mille viis habuiſſe dolum quà ſigna ſequendi,
Falleret indeprenſus & irremeabilis error.
Et nunc antiquos ſignorum ſuſpicis ortus,
Infandum caput, ac nunc te fata impia tangunt.
Verte omnes tete in facies, & contrahe quidquid
Sive animis, ſive arte vales: tibi maxima rerum,
Verborumque fides; canibus data præda Latinis!
Proinde tona eloquio ſolitum tibi: fœdus & omnes
Compoſitæ leges; ſacra ad faſtigia fixi
Excubias Divûm æternas altaria juxta.

Gau-

N O T Æ.

255. *Signa, ut ſuprà Verſ.* 26.

INTERPRETATIO.

de) flammæ fulminis ominoſi. I modo, illuſe, expone te inutilibus periculis. An decuit Divum (*Pontificem*) lædi plagâ inflictâ à mortali? Galli (*Præſules*), cur deſipitis; ſcire vultis quæ ſit doctrina veſtra fatorum? habuiſſe (*ſcilicet*) in obſcuris ſcriptis, mille vias per quas error doloſus inobſervabilis, & *inexplicabilis*, turbaret ſigna progrediendi (*ad veritatem*). Tum fortuna primum converſa, mutavit fidem, & nunc miraris veteres ortus ſyderum, ſceleratum caput, & nunc fatorum (*doctrina*) impia urget te. Muta te in omnes formas; & collige quidquid potes ſive virtute ſive dolo: certe fides præſtabitur maxima rebus & verbis tuis: præda objecta canibus Latinis! Itaque tona vi eloquentiæ quod tibi conſuetum eſt: fœdus, & omnes conditiones conſtitutæ. Adfixi ad culmina conſecrata, perpetuas excubias Deorum juxta aras. Lætitia

Digitized by Google

Gaudia pertentant diverſis partibus orbis,
Inter ſe coiiſſe viros, in honore Deorum.
Sublimes animas, noſtrumque in nomen ituras,
Supra homines, ſupra ire Deos pietate videbis.
Romanoque foro ſubter faſtigia tecti
Agnovêre Deum proceres: volat Itala cornus
Sacrati Capitis, tua dum veſtigia luſtro.
Admonet, immiſcetque præces de vertice paſtor:
Sed magnum ſtridens, animum vireſque Latinis
Addidit, & cœli genitor de parte ſerenâ
Intonuit: patribuſque dedit geſtare Latinis
Sacra Deûm. Primam merui qui laude coronam
Ne qua meis eſto dictis mora: Jupiter hàc ſtat.
Reſpice cui regnum Italiæ, Romanaque tellus
Debentur: ducente Deo, flammam inter & hoſtes,
Ille velut rupes magnum quæ prodit in æquor,
Obvia ventorum furiis expoſtaque ponto:
Multa virûm volvens durando ſæcula vincit.

Obli-

INTERPRETATIO.

mulcet animum meum, magnos viros, è disjunctis regionibus terrarum, congredi inter ſe pro cultu Deorum. Videbis nobiles animas, & ſucceſſuras noſtro nomini, ſuperare pietate homines, ſuperare Divos. Principes (*Eccleſiæ*) cognoverunt Deum, in foro Romano, ſub culmina (*Vaticani*). Italicum jaculum (*Bullæ*) ſacri Capitis volat; dum ſequor veſtigia (*errorum tuorum*), Pontifex de culmine (*Vaticani*) monet & adjicit preces; ſed valde ſtridens adjecit animum, & robur Latinis (*ſcriptoribus*), & pater cœleſtis è ſudâ regione cœli tonuit, deditque *Pontificibus* Latinis, portare myſteria Deorum. Ego qui merui virtute primam coronam, ne ſit ulla mora meis juſſis: Jupiter hac parte ſtabit pro nobis. Attende cui imperium Italiæ, & Romana terra debentur. Deo ducente inter ignes & hoſtes, ille ſicut rupes quæ procurrit in magnum mare, objecta furori ventorum, & oppoſita fluctibus, ſuperat durando, tranſigens multas ætates hominum.

Digitized by Google

Oblitus decoris, ſolitus contendere contra,
Purpureaſque ſuper veſtes, velamina nota,
Et ſi non aliqua nocuiſſes, mortuus eſſes.
Vixi & quem dederat curſum fortuna peregi;
Et nunc magna mei ſub terras ibit Imago:
Tarda venit ſeris factura nepotibus umbram.
Sollicitanda tamen tellus: tum libera fatis
Numina ſola colant omnes, populuſque patreſque.
Jam legere & quæ ſit poteris cognoſcere virtus,
Erroreſque tuos penitùs tentare latentes:
Efficiam poſt hac ne quenquam voce laceſſas.
Annuerint ſuperi, caſus ſuperavimus omnes,
Sedibus ut ſaltem placidis in morte quieſcam.
Hæc ubi dicta dedit, Divoſque in vota vocavit,
Luſtravitque viros, dixitque noviſſima verba:
Conticuit tandem, factoque hîc fine quievit.
Talia perſtabat memorans, fixuſque manebat,

De-

INTERPRETATIO.

hominum. Tu immemor dignitatis meæ ſolebas mihi contradicere, & veſtibus purpureis (*Cardinalium*) quæ ſunt tegmina eis conſueta; & periiſſes niſi damnum aliquod ipſis intuliſſes. Vixi, & perfeci curſum quem fortuna mihi dederat; & nunc Effigies (*Bullæ meæ*) deſcendet illuſtris ſub terras. Lentè creſcit ſerò datura umbram poſteris: tamen vertenda eſt terra, tunc omnes & plebs, & proceres adorent Dei potentiam non impeditam fatis (*Janſenii*). Jam legere (*Bullam meam*) poteris, ac percipere quid ſit virtus, & explorare errores tuos occultos. Faciam ne deinceps ullum (*fidelem*) provoces eloquio tuo. Dummodo permiſerint Dii, evaſimus omnia pericula, ut ſaltem poſt mortem quieſcam in tranquillis ſedibus. Poſtquam (*ſummus Pontifex*) protulit hæc verba, & invocavit Deos ad vota ſua, & expiavit viros, & protulit voces ultimas (*benedictionis*), ſiluit denique; & hîc poſito fine ſeceſſit ad quietem. Talia dicens perſtabat, &

ma-

Digitized by Google

Degeneres animos cum multa horrenda moneret:
Et dixit moriens, en hæc promiſſa fides eſt.
Sic placitum: dolus an virtus quis in hoſte requirat!
Aurea nunc ſolio ſtellantis regia cœli
Accipit, & numerum Divorum, altaribus auget.

INTERPRETATIO.

manebat pertinax, cum prænuntiaret aſpera plurima *hæreticis*: dixitque moriens, en illa eſt fides (*in Bullâ*), quam promiſeram. Ita placuit mihi: quis exigat utrum virtus, an dolus ſit adverſus hoſtem (*hæreticum*)? Nunc aureum palatium cœli ſyderei excipit illum ſolio; & donatus aris auget numerum Divorum.

FINIS.

00567522Z

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google